LUSITANAE ECCLESIAE RELIGIO

In administrando

POENITENTIAE SACRAMENTO,

Et Decretalis ea de re

SANCTISSIMI PATRIS

BENEDICTI XIV.

PONTIFICIS,

Propugnata

A LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

SERENISSIMI DUCIS MUTINAE

Bibliothecae Praefecto.




Ad Lectorem.





Eque Ecclesiae Dei intestina interdum desunt bella, quae ab una Pontificum Maximorum Prudentia & Auctoritate coërceri & componi solent. Nos quidem quae a Saeculi Principibus tam bello quam pace, in remotis etiam regionibus geruntur, facile novimus, quamquam fabulis nonnumquam immixta: Typographis nempe certantibus, ut dum publicis hisce eventibus avidorum Lectorum curiositatem pascunt, sibi lucrum non leve conquirant. Ast ardua Ecclesiae negotia, & potissimum ab Italico Caelo remota, alio sidere reguntur. Nisi publicis Edictis prodantur, vix ab arcanis Principum rebus differunt. Imo etiamsi evulgentur per Constitutionem quampiam Apostolicae Sedis, non unâ tamen de caussâ intra angustos limites eorum fama & promulgatio consistit. Hoc idem contigit turbis Anno Ch. 1745. in Lusitania obortis ob perperam a nonnullis, ut ferebatur, administratum Poenitentiae Sacramentum. Tres jam Constitutiones hac de re emisit non minus zelo, quam scientiâ ubique cele-

lebratissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. Et omnium profecto Sacerdotum, qui ad audiendas Fidelium Confessiones adlecti sunt, intererat perspectam in hoc argumento habere Sanctissimi Patris Doctrinam atque mandata. Nihilo tamen secius ad paucos per Italiam controversiae illius series penetravit; fortassis etiam ad plerosque ne ipsius quidem rumor pervasit. Quamobrem neque inutilem, neque ingratam me facturum operam spero, si quae Confessariis observanda in posterum erunt, notiora reddam, simulque ostendam, quam justa ratione pro more suo Apostolica Sedes vix enatum incendium sopiendum curarit.



Regulae Confessariis praescriptae in Sacramento Poenitentiae, quod est ad Complices in peccatis.

CAP. I.



Uod unice curandum est a sacris Poenitentiae Ministris in audiendis Fidelium Confessionibus, illorum justificationem respicit, neque regulariter aliud a Poenitentibus exigere licet, nisi quod spectat ad integritatem Sacramenti tum quod est ad peccata & circumstantias speciem mutantes fideliter aperiendas, tum ad detestationem criminum, & propositum emendationis in posterum. Inde igitur avertenda est quaelibet indebita Curiositas, & interrogatio de iis, quae nihil ad hunc finem faciunt, ac tantummodo possunt in perniciem interrogantis converti, aut aliorum famae nocere, aut sine necessitate molestiam creare Poenitentibus, eosque avertere a quaerenda in sacro tribunali medicina salutis. Propterea a piis aeque & prudentibus Theologis propositae quaedam Regulae, huc advocandae sunt.

I. Inquirere nomen Poenitentis non licet, neque ejus habitationem, aliasve ejus qualitates, & circumstantias, quae personam illius detegant sine ulla rationabili caussa. Recte respondit quaedam mulier de suo nomine interrogata: *Nomen meum peccatum non est*. Ob hujusmodi curiositatem procul dubio peccaret Sacerdos.

II. Non licet Poenitentibus nomen Complicis revelare; ejus enim est peccata sua, non aliena, accusare. Peccato non caret, eoque interdum gravi, qui famae Proximi sine ulla necessitate detrahit. Num tu aequo animo ferres, si quis infamiam tuam alteri proderet? Tu ergo praesta erga alios id, quod ab aliis erga te praestitum cupis.

 III. Si

III. Si quis ſponte, ex ſimplicitate tamen, & ignorantia, Complicis nomen in Confeſſione detegit, uti rudibus e vulgo hominibus interdum evenit, non peccat. Monendus tamen eſt, ut in poſterum abſtineat.

IV. Quicumque juſto aliquo titulo ſponte Complicem in Confeſſione revelat, nullum incurrit peccatum. Juſtus exempli cauſſa titulus eſt, ut petatur conſilium ad diſrumpendam pravam aliquam conſuetudinem, ad conſulendum famae propriae, cui minatur inſultum Complex, ſi a peccando deſiſtatur, atque aliae hujuſmodi cauſſae. Potior eſt enim tutela conſcientiae & famae noſtrae, quam alterius.

V. Nomen Complicis ſibi ſive per ignorantiam, ſive juſto titulo revelatum, ſub Sigillo Confeſſionis Sacerdos retinere debet.

VI. Inter Theologos anceps diſputatio eſt, an oblatâ ſponte a Poenitente licentiâ revelandi Complicis, ea uti Confeſſarius poſſit ad correctionem ejuſdem Complicis, atque ad alia officia in utilitatem illius, aut Poenitentis derivanda. Et quidem tot heic diverſi caſus occûrrere poſſunt, in quibus tam prudenter quam imprudenter ejuſmodi licentia uti Confeſſarius poteſt, ut certa ſtatui heic Regula nequeat. Sed infra hac de re ſermo recurret.

VII. Ad integritatem Confeſſionis licite poteſt ac debet Sacerdos Poenitentem interrogare de Complice, quum videlicet occurrere poſſit circumſtantia aggravans, & ſpeciem peccati mutans. Neque enim exempli cauſſa ſufficit confiteri commiſſum carnale peccatum, ſed ſimul aperiendum eſt, an adulterium, aut ſacrilegium, aut incoeſtus interceſſerit.

VIII. Confeſſarius in hoc caſu interrogans, ſi nomen quoque, aut domum, aut alia ſigna exquireret a Poenitente, per quae ſibi perſona Complicis revelaretur, graviter peccaret. Suo enim debito ſatis Poenitens fecit aperiendo circumſtantiam peccati, & dum cetera rite concurrant, abſolvendus eſt. Ulterior Confeſſarii interrogatio ad peccaminoſam Curioſitatem eſt referenda; neque ad eam reſpondere Poenitens tenetur; imo ex compluriuṃ Theologorum ſententia

pecca-

peccaret, si revelaret, ob praeceptum non infamandi Proximum.

IX. Ubi ex necessitate integritatis Confessionis Poenitens animadvertit, fieri non posse, quin Confessarius Complicem cogniturus sit; puta si res fuit cum Sorore aut Uxore fratris: tunc ex sententia quorumdam gravium Theologorum obligatur ad quaerendum & adeundum alium Confessarium, cui ignotus sit Complex. Verum graves alii Theologi sentiunt, consilium hoc esse, non vero praeceptum.

X. Accidere interdum potest, ut adigendus sit Poenitens ad revelandum Complicem, quum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quae in perniciem Reipublicae vergere possunt, sicuti accideret, si Principis vita periclitaretur, si aqua mortifera Populo propinaretur, aut ex farina, cui gypsum mixtum foret, panis publicus conficeretur. Ut impediatur, si fieri potest, hoc malum, obligatur Poenitens ad exquirendum consilium Confessarii, qui pro sua Prudentia aut per se, aut per ipsum Poenitentem remedia conquirat. Nisi revelare velit Poenitens, minime est absolvendus; nam ex lege non minus justitiae, quam caritatis, tenetur ille pro virili curare, ut in tuto sit publica salus. De damno vitando, quod privatae alicui personae imminere potest, non loquor; nam fere semper suppressis Complicum nominibus, consilium praebere potest Sacerdos.

XI. Graviter peccat Confessarius, qui aut blandis artibus, aut minis haurire aut extorquere a Poenitentibus nomina Complicum absque justa necessitate velit. Gravius etiam delinquit, si ob negatam revelationem absolvere Poenitentem recuset. Non enim licet infamiam Proximi ex legibus Detractionis investigare; neque ad eam prodendam obligatione ulla constringitur Poenitens; immo, si praecisa necessitate revelaret, ex multorum sententia reum se peccati faceret.

XII. Neque gravis peccati reatum effugeret Sacerdos, si revelationem Complicis exigeret, ut per operam suam correptio, & correctio illius praestaretur. Nam Confessarii mu-

nus tantummodo est curare vulnera Poenitentis, non vero aliena; exquirere peccata Poenitentis, non aliena. Neque is tenetur ad eos corripiendos, qui crimina sua sibi revelare nolunt; imo cavere debet a corripiendo ob scandala, quae inde facile consequerentur.

Atque haec summatim praemisisse juvabit ad ea intelligenda, quae subsequuntur.

Turbae in Portugalliae & Algarbiorum Regnis exortae ob nomina Complicum a nonnullis Confessariis exacta.

CAP. II.

NUmquam in Ecclesia Dei tempestates, abusus, & scandala deerunt, numquam lollia cum fruge bona, quae vigilantiam sacrorum Pastorum exerceant, & ad quae aut avertenda, aut praecidenda eorum zelus, doctrina, & auctoritas incumbere debeat. Et sane ante paucos annos in Portugalliae & Algarbiorum Regnis invaluit rumor, nonnullos ex Confessariis solitos esse exigere Complicum nomina a Poenitentibus, & tanta quidem cum severitate, ut revelare nolentibus absolutionem negarent. Neque hoc tantum opere praestitisse ferebantur, sed etiam edocere, usum hunc omnino consonum Ecclesiasticae Disciplinae ex Praecepto aut Consilio fraternae correctionis. Verane an falsa ferret hujusmodi fama, in praesentia expendere, nihil opus est. Infra quaestio haec recurret. Illud certe novimus prodiisse hinc accusatores, inde negantes, & in vulgus ipsum diffusa fuisse hujusce novitatis jurgia, non sine multorum clamoribus & querelis adversus sacros Ministros, non sine quodam ipsius Sacramenti dedecore atque contemtu, quod insolitum jugum cervicibus Fidelium imponeret. Exarsit heic geminorum S. R. E. Cardinalium zelus, hoc est Eminentissimi Thomae de Almeyda

Patriar-

Patriarchae Ulyſſiponenſis, & Eminentiſſimi Nuni a Cugna in nuper memoratis Regnis Inquiſitoris Generalis; eiſque minime cunctandum viſum eſt, ut & dignitati Religionis, & diſſidio in dies creſcenti conſuleretur. Quamobrem religioſiſſimus Patriarcha publico Edicto & cenſuris propoſitis cavit atque ſancivit, ne quiſquam e Confeſſariis in poſterum nomina Complicum exquireret, ejuſmodi Curioſitatem damnans uti abuſum in Sacramentis, ſimulque contrariam doctrinam multis nominibus deteſtandam pronuntiavit. Alter vero Eminentiſs. Cardinalis, ideſt Inquiſitor Generalis, ſuo etiam Edicto non ſolum eumdem abuſum proſcripſit, ſed etiam Poenitentes in futura tempora ſub poena majoris Excommunicationis obligavit ad denuntiandum Confeſſarios, qui in Sacramentali Confeſſione nomina Complicum exquirerent, & quemlibet etiam, qui abſonam hanc & damnandam doctrinam ſive ſpargeret in vulgus, ſive profiteretur.

Tantum abfuit, ut oborta flamma appoſito hujuſmodi repagulo comprimeretur, ut in majus incendium exinde eruperit. Cunctos enim Archiepiſcopos & Epiſcopos utriuſque Regni male habuit, quod nullâ aut nimis levi de cauſſa, & ex quorumdam tantummodo, ut ajebant, malitia increbuerit hic rumor, a quo, & potiſſimum a duorum Cardinalium Edictis, indebita atque intoleranda crearetur infamia utrique Clero ſuarum Dioeceſeon. Immo in opprobrium quoque ſuam iſta vergere ſinguli ii Antiſtites conquerebantur, quaſi aut per incuriam ignoraſſent, aut per damnabilem conniventiam in gregibus ſuis adeo enormes abuſus diſſimularent. Perſuaſum, imo exploratum cuicumque erat, ne umbram quidem erroris & abuſus ejuſdem in ſuis Dioeceſibus poſſe offendi. Hinc ergo querelae, hinc gemitus, & praeſertim ob injunctam Poenitentibus obligationem denuntiationis, quam neque imponendam, neque ulla ratione ferendam, altis vocibus unuſquiſque contendebat. Proinde invaleſcente in dies rumore atque diſſidio, ad centrum Religionis, ad Sedem Apoſtolicam, Romanumque Pontificem ambo Cardinales cauſſam hanc deferendam cenſuere, probe conſcii, ratum fore quidquid ab

ejus

ejus Cathedra prodiret, & quemvis ad vocem Petri judicia ſua, uti Religio poſtulat, ſubmiſſurum. Neque ſuo muneri defuit Sanctiſſimus & vigilantiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. nam Nonis Juliis Anno Ch. MDCCXLV. Paſtorales Literas dedit ad *Archiepiſcopos & Epiſcopos, per Portugalliae & Algarbiorum Regna atque Ditiones conſtitutos*, quibus praxim damnavit Sacerdotum in Sacramento Confeſſionis exigentium a Poenitentibus, ut ſociorum in crimine nomen & habitationis locum revelarent. Sed ipſius Sapientiſſimi Pontificis verba praeſtat audire.

Sanctiſſimi in Chriſto Patris BENEDICTI PAPAE XIV. Paſtoralis Epiſtola ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Luſitaniae.

SUprema omnium Eccleſiarum ſollicitudo, & Divina Jeſu Chriſti omnium Paſtorum Principis, cujus vices planè immerentes gerimus, caritas aſſidue urget Nos, ut pro commiſſa divinitùs imbecillitati Noſtrae univerſi Dominici gregis curâ ſemper advigilantes, periculis animarum, ſicubi forte ſuperimpenderint, per omnes Chriſtiani Orbis Populos ac Nationes opportunè quantum cum Domino poſſumus, occurramus; atque iis praecipuè Regnis, & Locis peculiari quodam Apoſtolicae Noſtrae caritatis ſtudio, auctoritatiſque providentiâ conſulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas quammaxime floreant, callidus humani generis hoſtis nocere Fidelibus dum aperto bello deſperat, per inſidias molitur, in Angelum ſcilicet ſeſe lucis transfigurans, & ementitâ boni ſpecie incautis illudens; quâ ex arte non minora ſaepe animarum detrimenta, quam ex aggreſſione manifeſtâ, eſſe proventura nequiſſimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentiſſimis Portugalliae, & Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus Vos Antiſtites ſummâ cum Sacerdotalis virtutis veſtrae commendatione praeſidetis, & quibus pro ſingulari erga Catholicam Eccleſiam, atque Apoſtolicam hanc Sanctam Sedem obſervantiâ meritae debentur laudes, nuper eveniſſe non ſine ingenti animi noſtri

ſtri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures Noſtras, nonnullos iſtarum partium Confeſſarios falsâ zeli imagine ſeduci ſe paſſos, ſed a zelo ſecundum ſcientiam longè aberrantes, perverſam quamdam, & pernicioſam praxim in audiendis Chriſtifidelium confeſſionibus, & in ſaluberrimo Poenitentiae Sacramento adminiſtrando, invehere atque introducere coepiſſe; ut videlicet, ſi fortè in poenitentes incidiſſent ſocium criminis habentes, ab iiſdem poenitentibus ſocii hujuſmodi, ſeu Complicis nomen paſſim exquirerent; atque ad illud ſibi revelandum non inducere modo ſuadendo conarentur; ſed, quod deteſtabilius eſt, denuntiatâ quoque, niſi revelarent, abſolutionis ſacramentalis negatione, prorſus adigerent, atque compellerent; imo etiam Complicis ejuſdem nedum nomen, ſed habitationis inſuper locum, ſibi exigerent deſignari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandae Complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum ſpecioſo praetextu colorare, tum emendicatis quibuſdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujuſmodi vel falſas, & erroneas ſequendo, vel veras, & ſanas male applicando, perniciem tam ſuis, quam poenitentium animabus conſciſſerent; ac ſeſe praeterea plurium gravium damnorum, quae inde facile conſecutura fore praevidere debuerant, reos coram Deo aeterno Judice conſtituerent. Et verò jam ſecuta fuiſſe multa ejuſmodi damna infelici experientia compertum eſt: Nec fieri potuit, quin eâ de causâ & oblocutiones, & ſcandala, & non Miniſtrorum tantùm, ſed ſacri etiam ipſius miniſterii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta ſint. Triſtia Nos haec nuntia cum accepimus, ſimul audivimus, contra exitialem hujuſmodi abuſum protinus juſtâ indignatione pro munere ſuo commotos fuiſſe dilectos Filios noſtros S. R. E. Cardinales Nunum a Cunha in iiſdem Portugalliae, & Algarbiorum Regnis Generalem Inquiſitorem, & Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonenſem; atque utrumque ſollicitè gliſcenti malo compeſcendo, atque etiam eradicando adlaboraſſe. Nos autem, ne in tam gravi animarum diſcrimine ullâ ex parte Apoſtolico Noſtro Miniſterio deeſſe videamur, neve mentem hac ſuper re Noſtram apud Vos obſcuram,

& am-

& ambiguam esse sinamus: Notum vobis esse volumus, memoratam superiùs praxim penitùs reprobandam esse, eamdemque a Nobis per praesentes Nostras in forma Brevis Literas reprobari, atque damnari, tamquam scandalosam, & perniciosam, ac tam famae proximorum, quàm ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo & necessario usu Fideles abalienantem. Eapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de pastorali vestrâ vigilantiâ nihil est, quod dubitemus; Supremi tamen Officii quoque Nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis Nostrae apertâ significatione, & Apostolicis insuper hortationibus nostris intentiùs acuere, & excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus, & efficacioribus quibusque juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenuè insectemini, ac penè nascentem opprimatis; neque patiamini traditis curae vestrae ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque divinae misericordiae fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemtore Nostro ad abluendas, dealbandasque in sanguine suo animas amantissime invitantur. Interea, dum a zelo vestro, ac prudentiâ luculentiora Nobis certò pollicemur vestrae pietatis & observantiae argumenta, Apostolicam Benedictionem cum uberrimâ coelestium charismatum copiâ conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem, ut praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vii. Mensis Julii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Cajetanus Amatus.

Prae-

Praecedentis Decretalis juſtae cauſſae, & quam prudenter in Decreto hoc proceſſum fuerit.

CAP. III.

QUod in primis animadvertendum eſt, heic damnatur omnis Confeſſariorum Curioſitas, quae neceſſaria, aut utilis non ſit Poenitentibus. Hoc eſt, eis interdicitur quacumque arte exquirere nomen & habitationem Complicis; & praecipue puniendus dicitur, qui minis & negata abſolutione notitiam hanc exculpere conetur. Itaque perverſa & pernicioſa decernitur Confeſſariorum illorum praxis, *qui a Poenitentibus, ſocii hujuſmodi, ſeu Complicis nomen exquirunt; atque ad illud ſibi revelandum non inducere modo ſuadendo conantur, ſed quod deteſtabilius eſt, denuntiatâ quoque, niſi revelent, abſolutionis ſacramentalis negatione, prorſus adigunt atque compellunt; imò etiam Complicis ejuſdem nedum nomen, ſed habitationis inſuper locum ſibi exigunt deſignari.* Quibus verbis praxis eorum proſcribitur, qui nullum juſtum titulum habentes Complicum nomina ſcrutantur, & indebitae Curioſitatis reos ſe ſtatuunt. Neque enim ſapientiſſimus Pontifex damnationem ad eos caſus extendit, in quibus aut integritas Confeſſionis, aut publica neceſſitas, aut Poenitentis ipſius conſcientia exigit, ut Poenitens Complicem revelet. Quod quum accidit, ipſum Poenitentem hortari, interdum etiam adigere poteſt ad revelandum, omiſſo tamen nomine & loco habitationis, ſi fieri poteſt. At quandoquidem nonnulli cauſſam hanc interrogandi de Complice praeferebant, videlicet ut ipſum poſtea corriperent, atque in ejus utilitatem hujuſmodi revelatione uterentur: caſum hunc praecipue diſertis verbis ſe damnare Pontifex profitetur, ita ut in poſterum, quamvis etiam non palliata, ſed in bonum finem excogitata

ea

ea cauffa adhiberetur, nulli Confeffario liceat inquirere nomina Complicum. Sunt verba Decreti: *Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandae Complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso praetextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitant.* Quod sane Decretum quam justum sit, & Disciplinae Ecclesiasticae conforme, nemo non intelligat. Ecquando enim sine necessitate infamiam alterius occultam prodere fas est? Imo aut incaute, aut malitiose detectam resarcire, si per nos commode licet, jubemur. Deinde quum Sacerdotes teneantur monere Poenitentes, ut sua quidem, non vero aliena crimina confiteantur: quid est quod ipsi postea sibi potestatem usurpent extorquendi a Poenitentibus aliorum peccata? At hoc, inquiant, recta intentione exquirimus, atque ut Complicem quoque ad meliorem frugem deducamus. Sed nulla tibi est obligatio corripiendi, nisi quos Confessio reos in sacro Tribunali statuit. Contra tibi obligatio est servandi sub sigillo, quae tibi in Confessione revelantur, sive Poenitentis sint, sive aliorum. Praeterea indebitis hisce interrogationibus Poenitentes a Sacramento deterres, dum eos prodere cogis id, quod ipsi a detegendo abhorrent, neque ulla obligatione detegendi tenentur. Gravioris etiam peccati reum te facis, quotiescumque ob negatam Complicis revelationem Poenitenti absolutionem negas. Dum suo munere functus fuerit Poenitens, & peccata sua detestatus, eadem plene fuerit confessus cum proposito non peccandi, neque agitur de Recidivis, de Occasione proxima, aut de Poenitentibus diu in coeno gravium Peccatorum volutatis: id juris ad absolutionem Poenitens acquisivit, ut sine gravi injuria, & contemtu, atque abusu Sacramenti Confessarius denegare eamdem non possit. Ad haec quisquis ex notitia Complicis in Confessione habita, quamquam licentiâ Poenitentis confisus, Complicem corrigendum suscipit, scandalis non paucis obnoxius est. Indignatur enim quicumque secreta sua crimina detecta videt, suaeque famae vulnus inlatum apud Confessarium. In querelas igitur is facile erumpat, & Sigillum Sacramentale fractum suspicetur, &

Sacer-

Sacerdotem veluti proditorem tanti Sacramenti exclamet: quae certe in perniciem Religionis vergere possunt. At quanto graviores tragoedias excitabit Complex, ubi resciverit, non sponte factam, sed extortam fuisse in Confessione revelationem sui nominis, atque licentiam revelatione illa utendi? nam sine hac licentia fracti Sigilli reus foret Sacerdos. Igitur intolerandae Imprudentiae, & zeli sine scientia facinus heic habes. Denique tametsi sine dolo malo, & in bonum tantummodo finem Complicis nomen Confessarius detegendum curaret, fieri non posset, quin hominum malitia id tentatum arbitraretur in pravum aliquem finem: ex quo non levis invidia atque odium adversus ipsum Sacramentum conciperetur. Et sane quum inter tot probos Ecclesiae Ministros vix fieri possit, quin aliquis interdum a Concupiscentia in transversum agatur, & in venenum convertere possit, quae Christus Dominus in medicinam nostram instituit: satis ejusmodi periculum foret, ut omnino praecluderetur in posterum aditus ejusmodi interrogationibus, minime ad Sacramentum necessariis, & tam facile scandala & perniciem animarum parituris. Propterea sapientissime Summus Pontifex in Decretali addidit: *Nec fieri potuit, quin ea de caussa & oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium, & animorum ingens perturbatio in Populo fideli exorta sint.*

Quod autem nunc suprema auctoritate Christi Vicarius inhibuit atque damnavit, concordibus votis antea Theologi improbarant, ita ut nulla probabilitate niteretur contraria praxis atque doctrina. Diana Tom. I. Tract. VIII. Resol. 47. quaerit: *An liceat Confessario interrogare de Complice in Confessione in ordine ad ipsius correctionem, & illam facere de licentia Poenitentis.* Tum auctor est, affirmativam sententiam *cum aliquibus limitationibus* traditam fuisse a Fagundez Praecept. 2. Lib. V. Cap. 2. & Suarez in 3. part. Tom. IV. Disput. 34. Sect. 4. Tum subdit: *Sed tu contrarium tene cum Villalobos, Sylvio, Maldero, Coriolano, Rodriquez, Ledesma, Bannez, Soto, Petro Fay, Lorca, & Nugno, qui oppositum vocat temerarium & perniciosum, tamquam ipsius Sacramenti destructivum; & res-*

respondet ad omnia argumenta, quae pro affirmativa sententia adducit Suarez. Et ratio est, quia talis correctio non potest effici sine injuria Sacramenti; non est enim negandum, multum derogare sigillo Confessionis notitiam illius ad effectus adeo extrinsecos. Finis etenim intrinsecus Sacramenti Poenitentiae est tantum justificatio Poenitentis, non emendatio Complicis. Caeteras rationes invenies apud Nugnum. Et haec opinio est communis in Schola D. Thomae. Addo ego, eamdem sententiam tradi ab Alphonso de Vega, Sylvestro, Wigandt, Octavio a S. Joseph, & aliis. Verum heic animadvertas velim, trahendum non fuisse Suarez tanti nominis Theologum in oppositam opinionem. Aliud enim est, si *Sponte* Poenitens Complicem revelet, ac licentiam praebeat, ut ejusmodi notitia Confessarius utatur ad ipsius Complicis correptionem; & aliud est, a Confessario extorqueri Complicis revelationem, & corrigendi licentiam. De primo dumtaxat casu disputat Suarez, non de altero; & num. 7. Sect. IV. ejusdem Disput. 34. diserte ait: *Est ergo illa licentia ex objecto suo justa; Suppono etiam esse Sponte datam, & non per injuriam extortam a Poenitente.* Hoc idem ille antea protestatus fuerat Disp. 33. Sect. V. n. 14. Quibus ex verbis satis apparet, non eum loqui de casu nunc damnato, imo & hunc ab ipso tacite improbari. Idem de Fagundez dicendum mihi creditur. Etenim, uti Castropalao docuit Tract. 23. punc. 19. de Sacr. Poen. facultas data a Poenitente revelandi Confessionem, *debet esse Spontanea & libera. Nam vi, & metu extorta censenda est, ac si concessa non esset, tum ob reverentiam Sacramenti, tum ne foveantur injuriae, tum ut Poenitens securus sit de secreto.* Testes hujusce sententiae is adfert Navarrum, Suarez, Fagundez, & Graffium. Ita Sayro in Summa Sacr. Poen. Cap. 31. n 2. statuit, licentiam revelandi a Poenitente dari debere *Sponte; non enim cogi potest quis ut hanc det Confessario, cum hoc esset contra decus Poenitentis, & in grande detrimentum ejus, & Sacramenti.* Ac propterea Paludanus, & Sanctus Antoninus docent, coactam licentiam non sufficere, ut Sacerdos audita in Confessione revelare possit.

Atque

Atque ex his intelligis, nullum occurrere ex Theologis, qui damnatam nunc sententiam antea probarit, imo ipsos quoque certatim adversus eamdem insurrexisse. Ad illam vero sententiam quod attinet, quae tradit, licere Poenitenti Sponte revelare Complicem, si putet, revelationem hanc cessuram in utilitatem suam, aut ipsius Complicis; simulque eidem licere, (dum Sponte fiat) facultatem concedere Confessario utendi hujusmodi Revelatione ad Complicis correctionem: quisquis attente verba ac mentem prudentissimi Pontificis considerat, continuo agnoscit, eamdem minime nigro obelo fuisse confixam. Supponit enim semper Pontifex, non a spontanea Poenitentium voluntate procedere Revelationem, sed quidem persuasionibus & minis injuste adhibitis procuratam atque extortam a Confessario fuisse. De Spontanea ergo Revelatione ac Licentia a Poenitente facta dum loquimur, quam unam Suarez tuebatur, certum est, eamdem a Theologis compluribus pertractatam fuisse diversis plane sententiis atque rationibus. Plures pro se Theologos laudat idem Suarez, apud eum legendos. Ego heic Lectori unum Theologum sistam, quem certe uti laxioris doctrinae tutorem nemo insimulet. Is est Natalis Alexander, qui Lib. 2. Theol. Dogmat. Art. 7. Regula 23. conclusionem hanc statuit: *Complicem Confessario revelare non licet, nisi forte servato fraternae correctionis ordine, ut Sacerdos illum ad peccati Confessionem & Poenitentiam hortetur; vel a malo ipsi Poenitenti, aut alteri cuipiam inferendo pro viribus deterreat & prohibeat, arcani religione prudentiaeque legibus servatis; vel ut consilium necessarium quaerat a Conscientiae moderatore.* Hanc in rem adfert ille verba Sancti Thomae Opusc. XII. qu. 6. antea ab ipso Suarez indicata. Inquit enim Aquinas: *De expressione autem personae, cum qua aliquis peccavit, videtur mihi, quod non sit in Confessione facienda, quando potest vitari. Primo quidem, quia prodere crimen alterius, & laedere famam, est peccatum, quod maxime vitandum est in Confessione, per quam quis quaerit praeterita peccata delere. Secundo, quia a Domino* (Matth. XVIII.) *est forma denuntiandi peccatum Proximi descripta, contra quam agere non licet. Tertio, quia in*

Confessione est credendum peccatori consitenti & pro se, & contra se; sed contra alium nullo modo est ei credendum: alioquin daretur multis occasio fictae Confessionis, & fraudulentae infamationis. Et ideo, si potest speciem peccati confiteri non innotescendo personam, cum qua peccavit, peccat eam exprimendo, nisi forte salvato Correctionis ordine, quem Dominus statuit. Si vero speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam, cum qua peccavit, puta si cum Sorore concubuit, necesse est, ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Sed si fieri potest, debet quaerere talem Confessorem, qui personam Sororis penitus non cognoscat. Sanctus etiam Antoninus 3. Par. Tit. 14. Cap. 19. §. 11. censet, non peccare Poenitentem, sed mereri, si personam Complicis revelet Confessario *cum bona intentione, non ut prodat, vel se excuset; sed ut Poenitentiarius oret pro eo, vel cum secreta admonitione corrigat.*

Imo quum Confessarius sit aeque Medicus & Judex, in quibusdam casibus, non quidem nomen, sed qualitatem Complicis investigare jure potest, ut consulat Poenitentis conscientiae, etiamsi ex ea revelatione consequatur cognitio Complicis. Se positam in Occasione proxima peccandi accusat Ancilla quaedam, cujus herus, & domus noti Confessario sunt. Confessarius pro debito suo interrogare potest, domesticusne sit, an extraneus Complex. Nam ubi domesticum fateatur, is consilium, imo praeceptum dare jubetur, ut quando alia non sit ratio truncandae pravae consuetudinis, ab ea habitatione & famulitio recedat. Itidem si Filius familias Poenitens, in pari casu se positum interrogatus fateatur, poterit Confessarius ab eo rogatus adire illius Patrem, & non crimine, sed periculo dumtaxat Filii exposito monere, ut occasione aliqua arrepta Ancillam dimittat. Ceterum quod est ad corripiendum directe Complicem (sponte a Poenitente revelatum) utique potior ea sententia videtur, fere numquam immiscere se debere Confessarios in procuranda Complicum emendatione. Primo, quia Vasquez in 3. Part. Tom. IV. Quaest. 93. Art. 4. Dub. V., & Kellisonius Tom. 2. in 3. Par. Quaest. 11. Art. 1. Dub. 2. sentiunt, teneri Confessarium

Sigil-

Sigillo etiam in favorem Complicis; ita ut ei minime liceat revelare Complicem ex venia tantum sibi facta a Poenitente, sed ad hoc etiam requiratur venia Complicis ipsius. Quae quidem Opinio, etsi adversarios habeat Suarez, Malderum, Hurtadum, Johannem Praepositum, & Dianam, nihilominus probabilis, & tutior esse non desinit. Secundo, quia Correctionem & Justificationem Poenitentis, ut diximus, non vero aliorum, procurare, Confessarii est munus. Tertio, quia in manu plerumque est Poenitentis resistere tentationibus, & abscindere telam peccatorum sine ulla correctione Complicis. Quarto, quia variis periculis & scandalis (juvat enim repetere) obnoxia est Complicum revelatio & correctio, quae ex Sacramentali tantummodo Confessione hauritur. Tanta profecto est, atque adeo delicata Sigilli Sacramentalis custodia, ut vel ab umbris abstinendum sit, quae illius fracturam olere possint. Timendum, ne postea Poenitens neget, se facultatem revelandi dedisse. Uno verbo, enitendum Apostolo docente 2. Cor. VI. 3. ut sive jure sive injuria, *non vituperetur ministerium nostrum*. Vide Dianam Tom. I. Tract. 8, Resol. 48., & 49.

An damnatus abusus fuerit Lusitaniae Clero adscribendus. Continuatae turbae, vel post Pontificiam Decretalem.

CAP. IV.

Diximus, in grave incendium erupisse flammas discordiae per Portugalliae, & Algarbiorum Regna ob disseminatum ubique rumorem de perniciosa praxi adigentium Poenitentes ad revelationem Complicum, atque insuper negantium absolutionem revelare nolentibus. Nullus enim ex Archiepiscopis, & Episcopis Lusitaniae fuit, si Ulyssiponensem Eminentissimum Patriarcham excipias, cui imaginarium vi-

ſum non fuerit hoc malum, indebitâque ignominia oneratum doluerit Regnorum illorum Clerum tam Saecularem, quam Regularem. Nulla nimirum diligentia ab iiſdem Sacris Paſtoribus praetermiſſa eſt in inveſtigando, an quiſquiam e Confeſſariis in ejuſmodi exceſſum abreptus fuiſſet, aut pernicioſam hanc opinionem edoceret ſive probaret. At nemo e Saecularibus inventus eſt, cui id acciderit; neque ex copia tanta piorum Eccleſiae Miniſtrorum, amorem veritatis & zelum Religionis profitentium, ullus repertus, qui accuſationes aut querimonias hac de re umquam audierit. Una proinde vox fuit in tot Dioeceſibus, confictum fuiſſe a malevolis nonnullis hoc monſtrum; & pleriſque perſuaſum fuit, ne in ipſa quidem Ulyſſiponenſi Civitate atque Dioeceſi vera illius veſtigia fuiſſe deprehenſa. Origo autem excitati turbinis haec fuiſſe a non paucis creditur. Sacras Miſſiones exercent in multis Luſitaniae partibus religioſiſſimi quidam Sacerdotes ex Ordine Sancti Franciſci, plerique generis nobilitate conſpicui, ii nempe, qui Seminarium quoddam incolentes, tum Literarum ſtudio, tum Pietatis, atque Obſervantiae Regularis profeſſione ita excellunt, ut ex iis ad Epiſcopalem Cathedram aliquis ſaepe adſumatur, & eorum virtus ac zelus in univerſa Luſitania commendentur. Quod variis in locis ſcandala complura, curantibus atque adnitentibus piis hiſce viris, exciſa ſublataque fuerint; & praecipue quod exſilio aliiſve poenis multati fuerint Religioſi nonnulli ad confabulandum cum Sanctimonialibus non ſine Sacrorum Canonum contemtu nimium proclives: factum eſt, ut homines ad vindictam proni non ſolum ad aures Eminentiſſimorum Patriarchae, & Generalis Inquiſitoris detulerint, ſed etiam in vulgus diſſeminare coeperint, Miſſionarios praedictos Sacramentalis Confeſſionis ſecreto uſos, ſive abuſos fuiſſe, ad procurandam ſcandalis medicinam, & ad caſtigandos Religioſos illos adeo Diſciplinae Regularis oblitos. Sed num ad Sacrae Poenitentiae penetralia recurrendum erat, ut Nobilium, aut Plebis, ipſorumque interdum Monachorum publice flagitia reſcire, atque eliminare fas eſſet? Attamen accuſatoribus hiſce, quamquam hac in

re non

re non uno nomine fide parum dignis, fides est habita; eoque processit eorum confidentia, ut etiam scriptis incitarint Eminentissimos Patriarcham, & Generalem Inquisitorem, ad acriter insurgendum adversus novam hanc Sectam, in eorum tamen dumtaxat cerebris natam. Ipsos insuper Episcopos ausi sunt traducere veluti novitatis hujus fautores; imo ex quo ad Pontificem Maximum devoluta fuit controversia, spargere per vulgus non erubuerunt, pestem hanc per universam serpere Lusitaniam, passimque illius fautores, imo & Doctores offendi.

Diu fluctuarunt Episcoporum animi inter patientiam, & necessitatem propriae tuendae famae, tum ob amorem pacis, tum ob reverentiam erga Sacrum Inquisitionis Lusitanae Tribunal. Denique ad Summum Pontificem, communem videlicet Patrem, ipsi quoque suas detulere querelas, contendendo in primis, post solicitam veritatis investigationem se nullum vestigium, imo ne umbram quidem detestandae hujus praxis in Dioecesibus suis invenisse. Excogitatam & diffusam fuisse hujusmodi calumniam a quibusdam hominibus, ut invidia crearetur adversus summe pios utilesque Ecclesiae viros. Potissimum vero conquerebantur de Edicto a Sacra Inquisitione promulgato, quod Anathema Poenitentibus indixisset, nisi Confessarios denuntiarent, a quibus interrogati de Complice fuissent. Intolerandum hoc esse onus multis ex titulis clamabant, atque per illud absterreri Fideles a Sacramentali Confessione; seque propterea rogare ac sperare a sapientissimo & Sanctissimo Patre efficax ad haec mala pharmacum, ne venenum latius serperet, atque animorum discordia augeretur. Rescripsit benignissimus Pontifex, se nequivisse de veritate facinoris dubitare, quando fidem de illo faciebant Edicta publica geminorum Cardinalium, eorumque Literae ad se conscriptae; ceterum se daturum brevi operam, ut quae emendatione indigebant, ad rectam normam redigerentur. Neque omittendum est, in excessum abiisse nonnullorum confidentiam, quando non solum passim dictitarunt, sed etiam ad Summum Pontificem scripserunt, Episcopos omnes Lusita-

 nos

nos in errore obfirmatos esse, nullumque eorum obsequium, & obedientiam sperandam fore ad quaecumque hanc in rem prodirent Sedis Apostolicae Decreta. Sed contra evenit. Pontificiam Decretalem alacriter suscepere Praesules ii universi, & summa veneratione deosculati sunt, gaudentes nihil aliud in ea inveniri, nisi suam ipsorum Doctrinam, & prudentissima ratione consultum in ea fuisse excessibus, si quos forte Lusitana tellus antea tulisset. Vice autem versa, etsi ex Pontificia Pastorali satis aperte deducatur, tacite improbari a Sanctitate sua onus Denuntiationis ab Eminentissimo Inquisitore Generali impositum Poenitentibus: nulla tamen ibi facta est novae hujus Legis correctio, atque in sua sententia, & Edicti tutela acrius quam antea idem Eminentissimus perseveravit. Serenissimus autem & piissimus Lusitaniae Rex Johannes V. uti Princeps Catholicae Ecclesiae addictissimus, in hujusmodi controversia suae Pietatis, & erga Pontificem Maximum venerationis, perspicua praebuit argumenta. Nam circa factum rescripsit Pontifici laudando zelum Cardinalium, & Pontificis ipsius animum moerentem consolando. *Nihil enim*, inquit, *aliud in hac re intervenit*, *nisi rumor tantum & suspicionabilis abusus*. At vero circa jus noluit alterutri parti favere. Imo non semel Ministro in Romana Curia suo injunxit, ne ullam animi inclinationem circa hoc negotium ostenderet, atque ut in hoc plenum erga Sanctam Sedem obsequium suum patefaceret. Tum quidquid Pontifex decrevit, jussit Rex adamussim exequutioni mandari.

Quid tum Episcopi? Dolere contemtum Pontificii Decreti; ingemiscere ob usurpatam ab Inquisitionis Tribunali auctoritatem, & jurisdictionem non solum Episcopalem, sed & Pontificiam; atque irasci, quod minime tolleretur nullo jure imposita Denuntiationis obligatio, a qua abstinuerat prudentissimi & jurisconsultissimi Pontificis Epistola Decretalis. Itaque omnes in eam inclinabant sententiam, Pastoralibus Literis in publicum emissis dejiciendum esse male compaginatum Inquisitionis aedificium. Et sane Archiepiscopus Eborensis, consultâ in primis Congregatione virorum aeque sapientum

pientum atque doctorum, Pastoralem hac de re emittendam censuit, in qua nihil modestiae desideratum est, & omnino servata fuit reverentia erga sacrum Inquisitionis Tribunal. Adversus eximium hunc Praesulem sanguinis cognatione cum ipso potissimum Lusitaniae Rege conjunctum, quem non tantum ejus oves, & probi quilibet, sed ipsa etiam Apostolica Sedes, uti illustre sacrorum Pastorum exemplar suspiciunt, quantum dentes Synagoga maledicentium acuerit, vix dici potest. Sed jamdiu mercedem iniquam hanc recipere consuevit vera Pietas in terris, ut justam, & uberiorem denique consequatur in Caelis. Alteram quoque Pastoralem ad suum Populum Archiepiscopus Algarbiensis dedit, ut sua jura tueretur. Reliqui vero Episcopi cupientes vincere in bono malum, & leniora quaeque experiri remedia, quando ad supremum Ecclesiae Tribunal redacta erat caussa, in unius summi Pontificis providentia considere maluerunt; ac propterea novis Literis Sanctissimum Patrem orarunt atque obtestati sunt, ut quae rescindenda erant suprema sua auctoritate rescinderet, & honori Sedium Episcopalium, simulque conscientiae Fidelium consuleret. Bene est temporibus nostris, quod in Cathedra Petri Pontifex sedeat, quo nemo peritior in Canonum scientia, & qui tamen numquam refugit audire consilium Fratrum, doctorumque hominum, quibus Romana Curia potissimum abundat. Et exploratum quidem est, Sanctissimum Patrem vivae vocis oraculo declarasse, subsistere non posse obligationem Denuntiationis. Is tamen, quum nihil antiquius habeat, quam paterna mansuetudine procurare, quae imperio exigere potest, Literis iterum datis ad Eminentissimum Cardinalem a Cugna hortatus est, ut eamdem obligationem revocaret. Nullum tamen, quem sciamus, fructum ex paternis monitionibus fuisse reportatum novimus, uti infra dicemus. Hic status rerum tunc fuit. Quid juris, nunc nobis expendendum restat.

Utri partium in hujufmodi concertatione major fides habenda.

CAP. V.

NUlla dubitatio eft, quin Eminentifsimi Patriarcha, & Inquifitor Generalis, atteftationes procurarint, & corrafferint, ut oftenderent & confirmarent opinionem fuam de vulgata per univerfam Lufitaniam erronea praxi, & damnata doctrina exigentium revelationem Complicum. Pro certo etiam habetur, atteftationes ejufmodi, & quafdam Denuntiationes & querelas hac de re factas ad Tribunal Inquifitionis, Romam fuiffe tranfmiffas ad juftificandam Edictorum promulgationem. At excipiebant Archiepifcopi & Epifcopi, hafce teftificationes ab hominibus parum probatae vitae, atque invidentibus bonae famae piorum quorumdam virorum, prodiiffe. Exiftimationem & honorem Cardinalium popofciffe, ut quando nimis facile antea accufatoribus fidem habuerant, caverent, ne erraffe viderentur; conquifitos propterea teftes; neque defuiffe affentatores, & malevolos, & metu tantarum poteftatum adactos, qui fe audiviffe, aut experientia didiciffe teftarentur, flagitiofam opinionem & praxim jam diffufam per Lufitaniae ditiones. Contrariis vero teftimoniis pugnarunt reliqui Epifcopi, quibus perfuafum erat, confictam fuiffe fectam & opinionem illam, ab ipfis quoque damnatam. Nam poft diligentem inquifitionem rei, praecipue apud Parochos & Confeffarios fuarum Dioecefeon utriufque Cleri factam, Archiepifcopi Eborenfis, & Algarbienfis, Epifcopi Portugallienfis, Conimbricenfis, Albenfis five Helvenfis, Mirandenfis, Lamecenfis, Egitanenfis (& quidem tres hi poftremi quamquam Suffraganei Ulyfsiponenfis Patriarchae) in literis ad Summum Pontificem datis proteftati funt, fe nullum vel minimum offendiffe veftigium criminis hujus. Archiepifcopus quoque Bracharenfis, Epifcopus Vifenfis, & Epifcopus Portallegrenfis

grensis (quamvis & ipse Ulysiponensis Patriarchae Suffraganeus sit) idem significaverunt in literis ad Nuntium Pontificium, atque ad alios datis. Imo ex his nonnulli ad ipsum Romanum Pontificem, atque ad Eminentissimum Valentem Gonzagam, atque ad alios Cardinales scripserunt, compertum se habere, ne in ipsa quidem Civitate & amplissima Dioecesi Ulysiponensi locum umquam fuisse ejusmodi errori & perniciosae praxi; disseminatam vero calumniam hanc a quibusdam, qui zelo, & pietate geminorum Cardinalium abusi, infamiam hanc inrogare Lusitaniae Clero non sunt veriti. Episcoporum suffragiis majus accessit robur a paribus testificationibus complurium Praelatorum, Generalium, Provincialium, aliorumque Doctorum ac Magistrorum, tam ex Saeculari quam ex Regulari Clero. Hi tamen omnes in Lusitania palam loqui minime audebant ob maledicta atque convicia, quae loquentibus impendebant. Nam adversariis id passim licebat; & quicumque contra sentiebat, suamque sententiam manifestabat, licet Praesul Ecclesiasticus esset, contumeliis passim incessebatur. Ob eam rem ab indicandis nominibus eorum, qui attestationes scripserunt, supersedemus. Satis sit testari, plurimas gravissimorum virorum esse a nobis inspectas, easque ad Romanam Curiam fuisse perlatas. Ii autem omnes, quum ad audiendas Confessiones frequenti exercitatione ex munere suo incumberent, affirmabant, numquam sibi innotuisse, alicubi in proscriptae nunc praxis abusum quemquam abreptum fuisse; quum tamen vix fieri potuerit, quin querela aliqua Poenitentium, aut saltem ramusculus quispiam ad eorum aures perveniret istius excessus. Certe si aliquando Poenitenti alicui negata absolutio fuisset, quod Complicem non necessarium ad integritatem Sacramenti revelare noluisset, perculsus ille novitatē rei, & facile etiam Curiositatis indebitae injustitiam sentiens, vix querimoniis in publicum temperasset, & ad alios saltem Confessarios injuriam sibi inlatam detulisset. Ad haec si quis e Confessariis pravam hanc opinionem tutatus fuisset, quam supra vidimus a Theologis omnibus antea improbatam: putasne, impune cessuram fuisse

tan-

tantam illius temeritatem, ubi copia Theologorum non deest? E tot etiam piis viris tum Cleri Saecularis, tum Regularium Ordinum, si quis Confessarium quemquam hac in re delinquentem novisset, nonne doluisset, & Episcopos hujusce abusus conscios fecisset? Et nihilominus ne unus quidem reprehensus, nedum castigatus antea reperitur.

Inter tot ambages, & pugnantia inter se testimonia, quod Lectori sentiendum sit, arduum nimis est decernere; & nobis potissimum, quibus minime perspectae sunt personae accusatrices, & testium qualitates, maxime in id genus concertationibus expendendae. Equidem compertum habeo, Romam adductas pro Eminentiss. Patriarcha Attestationes complurium simulque gravium virorum utriusque Cleri testantium jam invectum errorem nunc damnatum, ejusque consectaria deplorantium, ita ut eidem Purpurato justa videatur adfuisse caussa Pastoralis suae evulgandae. Verum minime novi, quid referant ejusmodi testes, & an intra unam Dioecesim Ulyssiponensem se contineat illorum assertio: quod in praesenti caussa nosse plurimi referret. Sub oculos tantummodo habui praecipuam denuntiationem eorum, qui & accusatores & testes fuisse traduntur ejusmodi flagitii, ab Episcoporum tamen patronis impugnatam, & uti nullius roboris demonstratam. Quid fuerit, quid sit, non est meum judicare, quamquam fortasse testes ab Eminentissimis Cardinalibus pro se adhibiti, neque numero, neque dignitate, neque aliis de caussis, comparandi sint cum tot piissimis Episcopis, & praeclarissimis utriusque Cleri testibus, quibus veritati minime conformis visa est ejusmodi, saltem in ardore certaminis nimium amplificata, accusatio. Attamen in controversia hac maxime omnium consideranda veniunt prudentissimi Pontificis verba in Constitutione, quam infra adferemus. *Nuntium*, ait Sanctissimus Pater, *accepimus*, *non levi aliquo incertoque rumore ad Nos perlatum*, *sed ita gravibus solidisque fundamentis innixum*, *ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate tum magnitudine facerent*. Vix fieri ergo potest, quin merito insimulatus quisquam fuerit ejusmodi erroris;

ris; ſed ſimul veriſimile eſt, non exceſſiſſe improbandam hanc praxim extra fines Ulyſſiponenſis Dioeceſis, ita ut ne teſtibus quidem graviſſimis & quamplurimis ab Epiſcoporum parte productis ſit neganda fides. Porro inique ageret, qui univerſo Luſitanorum Clero tribueret, quod Pauci dumtaxat in ampliſſimis Civitatibus & Populis delinquunt. Et quicumque adeo famam exaggeravit perverſae hujus novitatis, quaſi Luſitaniam integram, aut ejus non modicam partem infecerit, quamvis reclamantibus tot Epiſcopis & teſtibus, ſtabit ante Tribunal Chriſti rationem redditurus, num veritate bene perſpecta fretus, an aliquo improbo affectu raptus, & boniſne an falſis tabulis, tantam contumeliam amplificarit, ac tam longe dilatarit. Ceterum quae heic dicimus, minime obſtant, quin ſummopere laudandus ſit zelus Summi Pontificis BENEDICTI XIV. quod memoratam praxim & opinionem publicis decretis confoderit. Paucorum praevaricatio, ut in tot aliis ab Apoſtolica Sede damnatis Propoſitionibus factum novimus, ſatis fuit ac futura eſt, ut Supremus Eccleſiae Pontifex, quid ſentiendum fugiendumque ſit decernat. Et quamvis ne unus quidem proſcriptae ſententiae antea auctor aut diſſeminator fuiſſet, juſta nihilo ſecius numquam deficit cauſſa proſcribendi, ne quiſquam in poſterum ad perniciosum illud dogma deflectat.

An juſte de uſurpata auctoritate conqueſti fuerint Luſitaniae Epiſcopi.

CAP. VI.

INter querelas, ab Archiepiſcopis & Epiſcopis Luſitaniae ad Sanctae Sedis Tribunal delatas, ea in primis occurrit: ſci-

ſcilicet aut uſurpatam aut vili habitam fuiſſe a Luſitana Inquiſitione auctoritatem & juriſdictionem ſuam, dum publico Edicto non ſolum proſcripſit ſive certam, ſive incertam praxim & opinionem interrogantium de nomine Complicis in Sacramentali Confeſsione, ſed etiam novum inſuetumque jugum impoſuit Fidelibus Poenitentibus ſuarum Dioeceſeon. Suum eſſe munus, & Summi praeſertim Pontificis, ajebant, non vero Sacrae Inquiſitionis, novas, & menti Eccleſiae contrarias doctrinas configere, ſibique creditos greges monere atque obligare, ut a veneficis iis herbis & paſcuis abſtineant. Inrogatam propterea ſibi injuriam ab Inquiſitione fuiſſe, quae inconſultis ipſis Epiſcopis leges ad Sacramenta ſpectantes promulgavit, atque ad eas ſervandas adigere ſe poſſe cenſuit Fideles curae Epiſcoporum commiſſos. Et juſtiſsimo quidem titulo iidem expoſtulaſſe dicendi ſunt. Poſſem ego in lineam interminatam protrahere ſermonem, ſi cuncta congerere vellem, quae de Dignitate & Auctoritate Epiſcoporum tum Romani Pontifices, tum Concilia, & Sancti Patres, ipſique recentiores Theologi tradidere. Paucis contentus ero. Nemo certe Eruditorum neſcit, Epiſcopos *Succeſſores Apoſtolorum* eſſe, uti prae ceteris Sanctus Gregorius Magnus, Sancti Pacianus, & Hieronymus agnovere; atque a Deo in illos deſcendere Poteſtatem & Honorem, quo fruuntur, utpote de quibus Apoſtolus ſcripſit Act. XX. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Ipſe propterea Paulus Titum Epiſcopum Cretenſibus datum monebat, ut doceret, argueret, corrigeret quidquid in Fide & moribus emendationem poſceret; hoc enim praecipue ad Epiſcoporum munus ac Miniſterium ſpectat. Apoſtolorum vero diſcipulus Sanctus Ignatius Martyr in Epiſt. ad Smyrneos ſcribebat: *Omnes Epiſcopum ſequimini. Sine Epiſcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Eccleſiam ſpectant.* Inter Canones, qui ſub Apoſtolorum nomine vulgati ſunt, Quadrageſimus haec habet: *Presbyteri & Diaconi praeter Epiſcopum nihil agere pertentent. Nam Domini Populus ipſi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus eſt*

rationem.

vationem. Paria habet Constitutionum Apostolicarum Auctor Lib. 2. Cap. 26. Quamobrem nulla dubitatio est apud viros doctos, quin jure divino nitatur Episcoporum auctoritas & jurisdictio, atque ad ipsorum jus spectare, non solum in Conciliis germanam Christi doctrinam statuere, sed & in suis Dioecesibus corrigere & prohibere quidquid ab ipsa Doctrina Fidei & morum dissentit. Quae quum dicimus, nihil officitur supremae Romanorum Pontificum auctoritati & praeeminentiae, quae se per universam Ecclesiam extendit; nam Episcoporum decreta eâ semper sub conditione, saltem tacita, feruntur, ut obnoxia sint correctioni Apostolicae Sedis, quae plenitudinem regiminis ex Christi voce accepit, cujus potestas ad conservandam unitatem Ecclesiae & Fidei necessaria est, & pro qua Christus rogavit, ne Petri, ejusque Successorum umquam Fides deficeret.

Hisce autem Episcoporum juribus & auctoritati inconcussae in suis Dioecesibus, etsi ex institutione Inquisitorum hæreticae pravitatis, primo aspectu multum videatur detractum: revera tamen eorum Dignitas atque jurisdictio minime deliquium est passa. Adhuc enim Episcopus in sua Dioecesi ordinarius est Inquisitor, sive Inquisitor natus, & in crimina ad Religionem pertinentia suum pergit esse jus Episcopali foro. Quae vero & quanta nostris quoque temporibus tum ex ordinaria tum ex delegata auctoritate possint Episcopi, multis ostendit Barbosa in Libris de Officio & Potestate Episcopi. Atque haec ipsa jura laedere minime consuevit Apostolica Sedes, nisi quum Episcopi sua culpa iisdem se privant, & exposcit necessitas Ecclesiae universalis, quae potissimum vigilantiae & officio Romanorum Pontificum, ipsi Ecclesiae universae Praefectorum, est commendata. Semper enim Pontifices iidem meminere, quae Gregorius M. Lib. 2. Ind. X. Epist. 47. ad Dominicum Carthaginiensem Episcopum his verbis scripsit: *Sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus*. Notissimum vero est, invectos primum fuisse Inquisitores haereticae pravitatis, quod in Occidente longe lateque serperet Manichaeorum Haeresis, variis

tunc

tunc sub nominibus cognita. Nimirum delecti & delegati a Sancta Sede fuerunt viri non minus doctrina quam zelo Religionis conspicui, qui grassanti illi pestilentie sese opponerent, & animose corrigerent quidquid ejus temporis Episcopi aut facere negligebant, aut non audebant, aut nolebant, ne potentum odia incurrerent. Haec eadem ratio sive necessitatis, sive utilitatis, in caussa fuit, cur per subsequentia quoque tempora servatum fuerit sacrum Inquisitionis Tribunal: quod tamen minime impedit, quo minus & Episcopi ordinaria sua auctoritate utantur ad cohibenda Populi vitia & peccata, quaecumque Religionis puritati adversantur. Et sane Urbanus IV. in Literis ad Inquisitores datis Anno Ch. 1261. & a Francisco Pegna ad calcem Directorii Inquis. relatis, liberum Dioecesanis Episcopis, *sive auctoritate ordinaria*, *sive delegata procedere* in negotiis ad Fidem spectantibus. Inquisitores autem jubentur *de Dioecesanorum*, *vel Vicariorum suorum Consilio procedere*. Idem habet Bonifacius VIII. in Constit. edita circiter Annum 1296. ubi ait: *Dioecesanis Episcopis*, *quin & ipsi auctoritate ordinaria*, *vel delegata* (*si habent*) *procedere valeant*, *nolumus derogare*. Nimius autem essem, si Pontificum Maximorum Bullas quasque delibare vellem, in quibus illaesa decernitur Episcoporum jurisdictio in iis ipsis corrigendis, ad quae delectum itidem fuit sacrae Inquisitionis Tribunal. Ex Eymerico in Par. 3. Direct. Quaest. 47. & sequentibus petat Lector, quid Episcopus sine Inquisitore possit, & contra; & quaenam concordia inter eos futura sit; *& quando non possunt ad invicem concordare*, *tunc negotium bene instructum uterque destinet D. N. Papae:* quod ex decreto Bonifacii Papae VIII. depromtum est.

Hisce positis videas, non injuria conquestos fuisse Lusitaniae Episcopos de contemta sua Dignitate atque auctoritate, quando sacrae Inquisitionis Tribunal, aut ipsis inconsultis, aut ipsis etiam repugnantibus, Legem tulit novam, qua afficerentur universi Dioeceseon Lusitanarum Populi. Nam quod controversia illa ad Apostolicam Sedem perducta fuerit, injuriam non minuit Episcopis inlatam; haec enim inlata jam fuerat

ex

ex Lege insueta, ad quam minime auditis Episcopis Inquisitio processerat. Exigebat res nova, res tanti momenti (nempe agebatur de gravandis Populis ad tot Dioeceses spectantibus) ut suffragia quoque Praesulum exquirerentur; & si forte in discordes sententias animi scinderentur, res integra deferretur ad Apostolicam Sedem, cujus consuetâ Prudentiâ, ac suprema auctoritate id statueretur, quod omnibus servandum foret. Accedit, quod novas sententias regulis Fidei & Morum contrarias Episcopis in primæ instantia damnare & prohibere licet: quod an liceat Inquisitoribus, infra expendemus. Denique Inquisitores cum Episcopis ad caussas Fidei conveniunt, ut docent Glossa & Abbas in c. *ad abolendum de Haereticis*, Sylvester verbo *Haereticus* §. 2. n. 10. Carera de Hæreticis n. 67. Decianus, Simancas, Royas, ut alios omittam. Num ergo in tanti ponderis negotio negligere, ne dicam contemnere, licuit Episcoporum sententiam? Et profecto quin justus fuerit eorum dolor, & legitima querela, dubitare nos non sinit Pontificis sapientissimi Epistola Pastoralis, sive Decretalis. Namque is, uti prae ceteris scientissimus, quam reverentiam vel ab ipsis sacrae Inquisitionis Ministris exigat Episcopalis Dignitas, non ad Inquisitorem Generalem, sed ad ipsos scripsit Episcopos, eisque significavit, quid sentiendum ea de re in posterum foret. Neque id factum putes, quod suppositum contumeliosa accusatione Sanctissimo Patri fuerit, Episcopos protervos ne ipsius quidem Sanctae Sedis judicio frontem esse inclinaturos. Nam eximius Pontifex de eorum obedientia ne hilum quidem dubitans, in laudes tantummodo singulorum excurrit, atque eis mandat, *ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascumque Prudentia suggesserit, initis rationibus, & efficacioribus Juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenue insectemini, ac paene nascentem opprimatis &c.* Quid aliud hoc est, nisi coram universo orbe testari, se agnoscere Episcopos constitutos a Deo ordinarios in suis Dioecesibus Inquisitores, ac tacite Eminentissimum Inquisitorem Generalem edocere, qualis ab ipso quoque in hocce negotio reverentia impendenda erat erga Apostolorum Successores?

An

An leges de rebus novis ad Dogma, & Disciplinam Ecclesiae spectantibus ab Inquisitionis Lusitanae Tribunali, inconsulto Summo Pontifice promulgatae, obligent Fideles.

CAP. VII.

INdoluerunt etiam Episcopi, quod Lusitanae Inquisitionis Praefectus Generalis Eminentissimus potestatem sibi adrogarit condendi inconsulto Pontifice Leges in his, quae aut Catholicae Fidei doctrinam, aut praecipua Ecclesiasticae Disciplinae capita respiciunt, inter quae procul dubio adnumeranda est Sacramentorum praxis. Uti praemisimus, interdictum minime est Episcopo in sua Dioecesi novam aliquam Opinionem aut praxim configere & vetare; ejus tamen decreta, etsi Dioecesanos obligent, tamdiu vim legis retinent, quousque aliter non videatur visibili totius Ecclesiae Pastori, aut Generalibus Conciliis quibus aut ipse Romanus Pontifex, aut ejus Legati praesideant; illorum enim est plenaria auctoritate probare vel praecipere, & contra improbare & prohibere, quaecumque ad Religionem pertinent. Atqui petas: nonne & Inquisitori Generali Lusitaniae Opinionem & praxim interrogantium absque justo titulo de nomine Complicum damnare licuit? Ad Quaestionem hanc solvendam opus est intime agnoscere, quae & quanta sit Sacrorum Inquisitorum auctoritas. Audiendus heic Nicolaus Eymericus Ord. Praed. qui Saeculo Ch. XIV.. Inquisitorem in Aragonum Regno egit, & Inquisitorum Directorium ad posteros emisit. Sunt ejus verba Quaest. IV. inter Quaestiones CXXX. *Inquisitor non est Ordinarius Judex, sed Delegatus D. N. Papae: quia nullam habet jurisdictionem nec in personis, nec in criminibus, nec in caussis, nisi ubi, quantum, & circa quos ei confert D. N. Papa.*

Papa. Unde licet Episcopi utantur potestate Ordinaria in non exemtos, & Delegata in exemtos juxta C. Ad abolendam. §. Si qui vero de Haereticis &c. Inquisitores tamen non ordinaria, sed semper delegata utuntur, quia auctoritate Apostolica. Eymericum in eadem sententia sequuti sunt Caesar Carena, Ignatius Lupus, Thomas del Bene, & reliquus Theologorum chorus, ita ut hac de re nulla supersit controversia. Quare etsi grandia nomina, grandis auctoritas sit Inquisitionis Hispanicae & Lusitanae, quidquid tamen potestatis eis tribuitur, a Delegante procedit, hoc est a Romano Pontifice. Habemus in hanc rem Literas variorum Pontificum in Bullario Romano, & alibi, collectas partim a Francisco Pegna, partim a praelaudato del Bene. Neque enim a Saeculari Potestate potuit Inquisitoribus conferri sacra auctoritas; neque Presbyteris, sive Theologis meris facultas a Deo conlata est condendi Leges, uti datam Episcopis, quorum *sunt propriae oves*, & praesertim Petri Successoribus, nemo negat. Delegati auautem, ut est in l. 7. de Officio ejus, cui mandat. jurisdic. *proprium nihil habent, sed ejus, qui mandavit, jurisdictione utuntur.*

Ex his ergo sequitur, nihil aliud auctoritatis & potestatis esse cuicumque Inquisitori sive in Italia, sive in Hispania & Lusitania, quam quae eis tributa est ab Apostolica Sede. Qualis autem ea sit, ex Edicto, quod identidem Inquisitores promulgant, a Romana Inquisitione probato atque praescripto, ediscere possumus, uti & ex variis Romanorum Pontificum Literis & Bullis, quibus explicantur pertinentia ad Inquisitorum jurisdictionem. Scilicet eorum curae committitur invigilare, ne Haereses, aut Propositiones, aut Actiones ad Fidei doctrinam spectantes, & jam antea ab Ecclesia damnatae, locum habeant in grege Dominico, & ut in sontes animadvertant. Dixi *jam damnatae*. Neque enim eis concessum videtur, ut inconsulto Summo Pontifice aliquod novum Dogma sive Propositionem damnent, ita ut eorum decreta conscientias Fidelium obligent. Facultas haec Legislativa in iis tantummodo residet, quibus a Deo conlata fuit, hoc est

plena-

pleparia in Pontifice Maximo, & Conciliis Generalibus cum eodem concordibus, & partialis in Episcopis, sive in Concilio aggregatis, sive in suis Dioecesibus, ad avertenda e Populo suo semina perversae doctrinae. Quare facile Inquisitores novas Propositiones damnando, fines vicariae suae Potestatis transilirent, ubi sine praevia consultatione & venia Summi Pontificis id faciant, quod Episcopi in suis Dioecesibus possunt, & Christi Vicarius Pontifex pro universa Ecclesia facere potest. Excipiendam heic reor universalem Romanam Inquisitionem, cujus omnia Decreta de novis atque etiam arduis rebus semper veneranda sunt, & vim habere debent, quia numquam cuduntur, nisi conscio & probante Papa.

Haec autem dum ajo, ante meam mentem recurrunt acerrimae disputationes inter Theologos obortae, eaeque nondum sopitae, num Declarationes ab Eminentissimis Cardinalibus in Congregatione Generali Romanae Inquisitionis emanantes, *decisivae sint, & vim legis habeant*, & an sint *tantummodo doctrinales*, quae universam Ecclesiam minime obligent, etiamsi prodeant facto verbo cum Summo Pontifice. Hinc inde in aciem veniunt complures, quorum sententias & rationes qui nosse cupit, adeat Dianam Tom. VI. Tract. 1. Resol. 21. & sequ. Si potestas condendi novum jus, in controversiam adducitur, etiamsi agatur de Generali Congregatione Romana, cujus sane dignitas & auctoritas longe praeferenda est Lusitanae Inquisitioni, atque etiamsi nihil ferme alicujus momenti statuere soleant Romae Eminentissimi Cardinales, inscio Pontifice Maximo: quid quaeso dicendum de Lusitana Inquisitione, ubi eadem inconsulto Pontifice sibi jus tribuat proscribendi & damnandi Opiniones novas, & leges novas promulgandi, quae totius Regni conscientias obligent? Non deerunt profecto, quibus eadem videatur defecisse a reverentia debita Apostolicae Sedi, hoc est Matri suae, a qua originem, vitam, ac tot praerogativas accepit; sed non eam, qua opus est ad ferendas leges novas, & obligandas Fidelium conscientias; ad hoc enim exigitur mandatum, aut saltem scientia & consensus Summi Pontificis. Et potissimum quod

uti

uti animadvertit Pignatellus Tom. I. Consult. 59. Sacra Congregatio Concilii censuit, non licere Episcopis praecipere, ut quilibet de Populo denuntiare debeat crimina Clericorum sub poena Excommunicationis. Sententia autem contraria ab eodem Pignatello *plane absurda & periculosa* dicitur. Si id minime licet Episcopis, ad quos ex innata auctoritate incumbit cura & correctio gregis: num id licebit Inquisitoribus vicaria tantum potestate utentibus, inscia & inconsulta Sede Apostolica, cujus vices limitata solum & praescripta facultate gerunt?

De denuntiandi obligatione a Tribunali Lusitanae Inquisitionis imposita.

CAP. VIII.

Altera succedit novitas, quam quicumque doctorum hominum ad examen revocet, nullo indigebit monitore, ut intolerandam atque improbandam continuo judicet. Scilicet non satis fuit eidem Inquisitioni Opinionem & praxim illam proscribere; sed etiam jussit Poenitentes omnes, qui in Lusitaniae Regnis de Complicis nomine in Confessione interrogarentur, denuntiare ad suum Tribunal Confessarios hac in re delinquentes. Laudem profecto Pietatis & Ecclesiastici Zeli nemo negat Eminentissimo Cardinali a Cugna; at ipsi curandum erat, ne pateretur, se ab ipso Zelo abripi extra limites officii sui. Ad hujusmodi tamen novitatem animos eidem addidit Medina in Summa Lib. 1. Cap. 4. §. 1. quem sequutus est Lopez in Instruct. Confess. Par. 1. Cap. 27. §. *Commendamus quoque*. Ii quippe censuere, ab Inquisitoribus *puniri posse tamquam Haereticum Confessarium asserentem Poenitenti, ut sibi revelet Complicem, alias eum non posse nec velle absolvere*. Ratio a Medina adhibita est, *quia Heresis est affirmare, quod teneatur Poenitens eam circumstantiam confiteri,*

 nam

nam ſequeretur, licitum eſſe infamare Proximum. Verum Villalobos in Summa Tom. 1. Tract. 9. Difficult. 38. & Coriolanus Tract. de Caſibus reſer. par. 1. ſect. 3. art. 9. qui etiam Petrum Navarrum ſecum ſentientem adducit, huic opinioni ſeſe opponunt, quum controverſum ſit, an infamia Complici in Confeſsione revelato inferatur; atque, uti ſupra vidimus, caſus occurrant, in queis abſolutio Poenitenti neganda eſt, niſi Complicem revelet, etiamſi in ejus cognitionem Confeſſarius veniat. Medinae quoque opinionem improbarunt Fermoſinus, Perez, Trullench, & alii. Sed quod Opinionem hanc omnino perimit, infra memorabitur. Interim animadvertere juvat, Juſtitiae, & Caritatis legibus facile eos contraire, qui peccantibus aut Haereſim, aut ſuſpicionem Haereſis liberaliter objiciunt. Vix enim in ullum grave peccatum laberentur homines, quin probro onerari poſſent, quaſi crederent, licere Homicidium, Fornicationem, Fraudem &c. Nullus Theologorum umquam haec ſomniet. Quis enim non videt, nimium intercedere diſcrimen inter facientem peccaminoſam actionem, ac dicentem licere eam facere? Puniendi certe in poſterum erunt, qui interrogare audeant de Complice Poenitentes, non quod Haereſim ex hoc oleant, niſi alia concurrant indicia; ſed quod in opus ferantur ſive in ſe malum, quoties in pravum finem interrogent; ſive malum, quia prohibitum, quum nempe in bonum finem intentione corripiendi Complicis interrogatio fiat: nam & hoc in poſterum agere regulariter nefas erit. Fertur etiam vulgatus rumor, renovatam a Confeſſariis (ſi qui fuerunt praxi nunc damnatae addicti) temporibus noſtris fuiſſe Sectam *Illuminatorum*, Saeculo Ch. XVII. in Hiſpania vix natam & ſuffocatam. Non alia ex cauſſa, ut mihi creditur, niſi quod inter illorum errores hic etiam deprehenditur apud Malvaſiam & Berninum: *Non poſſe abſolvi ſolicitantes in Confeſſione, niſi declarant ſolicitatas*. Sed inter Complices in peccato nemo referre audeat mulieres ſolicitatas, ideoque nil rei eſt Confeſſariis, de quibus nunc agimus, cum Illuminatis. Ad haec ubinam vel unus oſtendi hactenus potuit pravis hiſce Opinionibus infectus?

Repe-

Repetamus igitur, Edicto Lusitanae Inquisitionis praeceptum fuisse, ut sub Anathematis poena Poenitens de Complice interrogatus denuntiet Confessarium interrogantem Tribunali ejusdem Inquisitionis. Onus hoc Fidelibus ibi impositum diximus insuetum, intolerandum, atque prorsus indebitum. Est enim contra jus naturale cogere quemquam ad revelandam turpitudinem atque infamiam suam, quae occulta sit, & aliunde constare in judicio non possit. Nimirum natura nimis abhorret, dum vitare possit, a detegendo crimen sive peccatum, ex quo grave damnum redundare possit in corpus, in honorem, & fortunas suas. Audi Ignatium Lupum Comment. in Edictum Inquis. ubi quaerit, *An quis se ipsum Fidei Inquisitori denuntiare teneatur*, & respondet: *Negative. Ratio est primo, quia hic casus censetur exceptus in Edicto Inquisitionis: cum nemo praesumere audeat, Judicem alicui tam grave onus, quale est sui ipsius denuntiatio, imponere velle. Secundo, quia nullus tenetur se ipsum prodere Cap. cum non deceat de Elect. in 6. juxta illud: Allegans turpitudinem suam non est audiendus c. inter dilectos de Donat. l. Transact. C. de Transact. Tertio, qui mandatum accipit aliquos denuntiandi excommunicatos, se ipsum denuntiare non tenetur, licet commiserit delictum, ob quod alii ab eo denuntiantur.* Ita Caesar Carena de Offic. S. Inquis. Par. 2. Tit. 9. de obligat. denuntiandi §. 7. scribit: *Sed an vigore hujus Edicti quis teneatur denuntiare se ipsum: Dic quod non. Symmanch. de Cathol. Instit. tit. 42. n. 13. Pegna par. 3. Comm. 12. Suar. de Fide sect. 4. n. 18. Latissime Sanctarell. de Haeresi Cap. 9. n. 18. qui alios allegat. Diana var. Resol. par. 1. Tract. 4. Resol. 8.* Hoc idem traditur a del Bene de Officio S. Inquis. Par. 1. Dubit. 19. ubi statuit: *Denuntiare judicialiter se ipsum quis non tenetur, si ex denuntiatione judiciali sibi timeat gravem jacturam in vita, fama, vel re familiari, quia praecepta Divina & Ecclesiastica non obligant cum tanto rigore.* Infra haec addit: *Si cum aliis crimen, etiam Haeresis, commisisti, tamen quamvis tu ab illa desistas, ex Communi Sententia Doctorum non teneris Socios criminis denuntiare, quia obligareris denuntiare te ipsum, cum tamen nemo teneatur se prodere, uti docent communiter Doctores*, quorum lon-

 gam

gam feriem poftea texit. Adeo autem naturae legibus conveniens eft communis ifta fententia, ut ne ante Judicem quidem, ubi agatur de gravi malo vitando, teneatur inquifitus fateri crimen fuum, quando celare poffit, uti cum Angelico Theologi complures fentiunt.

Verum adverfus hanc doctrinam ab omnibus hucufque probatam, en ut venire aufum fuerit Lufitanae Inquifitionis Tribunal. Si Poenitentes obligantur ad denuntiandum Confeffarium de Complice interrogantem: quis non videt, eos quoque obligari ad denuntiandum proprium crimen & ignominiam: quod juri Naturae repugnat? Neque enim fatis foret generalibus verbis Confeffarium accufare, quum cafus dentur, uti jam vidimus, in queis Sacerdos jus habet interrogandi de Complice; fed opus foret individuare peccatum, ex quo pateret, merito puniendum effe Confeffarium, uti damnatae Curiofitatis reum. Neque dicas, Fideles quoque peccantes adigi ad confitenda peccata Miniftris Ecclefiae. Hoc enim ex neceffitate praecepti a Deo manantis confequitur, ut peccatorum remiffio obtineatur; & Confeffio fit Deo, quamquam mediante Miniftro Dei; atque homines tam certi funt de firmitate Sigilli Sacramentalis, ut ad Confeffionem fine ullo infamiae metu confluere poffint. Et nihilominus teftis experientia eft, non paucos hominum verecundia nimium torqueri, quum ad Poenitentiae Sacramentum accedunt; idque etiam accidere, quamvis eos Confeffarius minime nofcat; neque deeffe, qui aut a Confeffione prae nimio rubore abftineant, aut facrilegam faciant. Quid ergo de novitio ifto praecepto feu jugo dicendum, quo compellerentur homines ad detegendum probrum fuum, non Deo, fed homini; & quidem homini illi, qui nomina fua referret in Libros Inquifitionis ad perennem fuae infamiae memoriam? Haberent heic Lufitani veram animorum & confcientiarum carnificinam, fi vis futura effet ejufmodi Edicto. Sed Ecclefia Mater mitiffima perpetuo abhorruit ab hifce exceffibus. Si illa praecipit, ut denuntietur in Confeffione folicitans, nihil grave incommodum perfonae folicitatae imponitur; alium enim illa accufat, non femetipfam; neque prodere ipfa jubetur, confenferitne,

ſeritne, an non ſolicitanti. In noſtro autem caſu contrarium exigitur: quod quam moleſtum, imo intolerandum foret, nemo eſt qui non dignoſcat. Evidentius etiam obligationis injunctae injuſtitia ſe prodit; nam in homine, qui Poenitentiâ rite peractâ abſolutus eſt, deletum eſt peccatum, ita ut tamquam innocens ejuſdem peccati ſit in poſterum habendus. Aequumne ergo foret innocentem hanc perſonam poena rurſus afficere, qualis dicenda eſſet revelatio turpitudinis ſuae ob aliena peccata; eamque punire, non ob actionem aliquam malam a ſe factam, quando ipſa optimam fecit, accedendo ad Poenitentiam, ſed tantummodò ob ignorantiam, aut malitiam Confeſſarii? Atque eo gravior injuſtitia deprehenditur, quando eadem adigatur ad revelandum peccatum ſuum, in quod nullum jus plerumque eſt Tribunali Inquiſitionis, utpote quod ad ejus cognitionem non ſpectat. Rurſus ergo intuere Prudentiam & Aequitatem Eccleſiae. Exigit illa, ut aut Epiſcopo, aut Inquiſitoribus, gravia delicta denuntientur, quae Religionis tutelam reſpiciunt, ſed delicta aliena, non propria. Neque Theologi iſtorum criminum reos obligant ad ſe denuntiandos, ſed tantummodo hortantur ex conſilio, ut ſeſe denuntient, evitaturi nempe ſponte comparendo poenas, quibus per alios detecti obnoxii forent. Et quamquam caſus occurrere poſſint, in quibus, ex ſententia quorumdam Theologorum, teneri creditur Poenitens ad ſe denuntiandum, uti quum agitur de gravi periculo Reipublicae & de Hæreſi ſerpente: hi tamen caſus nimium differunt a praeſenti, in quo imperatur denuntiatio, ut unius Confeſſarii delinquentis correctio procuretur. Neque exigit Clementia & Prudentia Eccleſiae, ut denuntientur Parentes, Fratres, & alii, quorum infamia & poena reſilire in ipſum denuntiantem poſſet, excepto caſu Dogmatizantium, ut multi ſentiunt.

Quod evidentius quoque deformitatem Praecepti illius coarguit: vix fieri poſſet, quin Poenitentiae Sacramentum in graviſſimum diſcrimen & contemtum pertraheretur, ubi Edicto illi parendum foret. Nam quoties Confeſſarius denuntiatus interrogaretur a Quaeſitoribus Fidei de Complicis nomine

vestigato, is aut se tueri non posset, a revelanda Confessione absterritus; & iniquum foret ei defensionis aditum praecludere. Aut ad Sacramentale Sigillum frangendum is adigeretur, exponendo caussam, cur a Poenitente Complicem exquisisset; ideoque Sigillum solveret Confessionis. Nemo autem nescit, quanta cura, quot severissimis Legibus Romani Pontifices & Concilia praescripserint hujus Sigilli fidem, ita ut mortem potius tolerare, quam illud frangere quisque Confessarius jubeatur, neque ipse Summus Pontifex eximere quemquam ab hac obligatione possit. Et nihilo secius nunc Lusitana Inquisitio Confessarios compellere videtur ad sanctam hanc Legem disrumpendam, ut se ab illius vexatione expediant. Consectaria lacrymanda haec forent nuper tentatae novitatis. Quamobrem quacumque ex parte metiaris imperatam a Lusitana Inquisitione denuntiationem, illam & juri naturali adversantem, & a mente Ecclesiae, communique Theologornm decreto alienam, & ad perdendum Poenitentiae Sacramentum nimis aptam, fatearis oportet; ita ut heic indignatio eadem tamdem erumpat, qua usus fuit divinus Magister, & Salvator noster (Matth. XXIII. 4.) adversus eos, qui *alligant onera gravia*, *& importabilia*, *& imponunt in humeros hominum*; *& qui dilatant philacteria sua*, *& magnificant fimbrias* auctoritatis suae. Propterea caute procedendum in novis oneribus imponendis conscientiae Fidelium, ne tamdem deterioris conditionis efficiatur Christiana Religio, quam Judaica. Adi nunc mecum Breve sapientissimi Pontificis BENEDICTI XIV. ad Episcopos Lusitaniae. Perniciosam praxim & opinionem, si qua fuit, aut futura sit, ille damnavit; sed ne unum quidem verbum addidit de probanda aut praecipienda Poenitentibus Denuntiatione delinquentium. Hoc autem satis futurum erat, ut agnosceremus, ab Apostolica Sede minime comprobatum fuisse praeceptum Lusitanae Inquisitionis. Si probasset Pontifex, ipse quoque praecepisset. Sed neque Pontifex damnavit, inquies. Disertis certe verbis minime damnavit; mitissimus quippe Christi Vicarius abstinendum censuit ab inferendo quidquam probri amplissimo Car-

dinali,

dinali, qui ex nimio tantum zelo novitatem hanc, alioqui minime ferendam, a parum cautis Consultoribus excogitatam, amplexus fuit. Ceterum novitas ista sufficientibus verbis prorsus explosa a Pontifice dignosci potuit, quum Episcopos Lusitanos hortatur & excitat, *ut efficacioribus quibusque Juris remediis noxiam hujusmodi novitatem strenue insectentur*. Inquit, *Juris r mediis*, scilicet Suspensione, Anathemate, Carcere, & si qua sunt delictis paribus in Jure praescripta. At ubinam Jura umquam praescripsere, ut quisquam ad accusationem compellatur, quam sine revelatione propriae ignominiae exequi non possit? Imo Jura omnia novitati huic adversantur. Quare nulla dubitatio est, quin ipse quoque Pontifex tacite eamdem jam tunc sustulerit. Non heic tamen stetit Providentia paterna Pontificis, sed efficacioribus remediis utendum ratus, alteram Decretalem emisit, de qua erit infra sermo.

Alterum Lusitani Edicti vitium ex obscuritate praecepti, & ex defectu potestatis.

CAP IX.

PRaeter Denuntiationem faciendam de Confessario nomen Complicis inquirente, altera etiam jubetur in Edicto Lusitanae Inquisitionis, scilicet si quis *Circumstantias improprias* a Poenitentibus exquirat, iste quoque Sancto Officio denuntiandus erit. Praecipue vero hujusce Denuntiationis onus Poenitentibus imponitur. Quaere in isto Edicto: nulla tibi occurret dilucidatio, quid sint *Circumstantiae impropriae*. Angelicus Doctor 1. secundae Quaest. 95. Art. 3. ex Sancto Isidoro haec in Lege ferenda observari debere scribit: *Erit Lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem Patriae, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat &c.* An justum sit Lusitanum Edictum, nuper ostendimus.

dimus. Animadverte nunc, quanta obſcuritate laboret. Quum legis *Circumſtantias improprias*, tibi finge quoddam Mare, cujus profunditatem ac terminos numquam aſſequaris. Tot enim occurrere poſſunt in Confeſſione Circumſtantiae ſermonis & interrogationis, ut earum numerum inire nequeas. Aliquot certe eſſe poſſint, quae indebitam, imo pravam Curioſitatem ſapiant; ſed innumerae etiam deprehendentur, quae nullius momenti ſint, nihil pravi contineant; & nihilominus quia ſuperfluae, & minime neceſſariae, neque utiles ad Confeſſionem peccatorum, ſi rigide accipias, *Impropriae* videantur. Attamen haec omnia uno tantum generali vocabulo confundit Edictum, atque inaudita ſeveritate denuntianda ſtatuit; neque diſtinguit, quid culpabile ſit, quid culpa careat; utiturque verbis, quae in ſenſu obvio mille tenebras pariunt. Num leves frivolaeque interrogationes, ob quas nulla (ſaltem gravis) culpa contrahitur, graviſſima Excommunicationis Majoris poena plectendae ſunt? Imo, quum, uti ſupra vidimus, in nonnullis caſibus non ſolum liceat, ſed etiam opus ſit, aut praeſtet in utilitatem nimirum Poenitentis, reſcire qualitatem Complicis: quas *Opiniones veras* ipſe Summus Pontifex in ſua Decretali agnoſcit, ſed *male applicatas* a Confeſſariis, quorum praxim & opinionem damnat: nullum tamen diſcrimen in Edicto adſignatum videas inter eos caſus, & illos, quos prudentiſſime circumſcribit accurata deſignatione Pontifex Maximus. Non ita ſane Fideles inſtruendi ſunt, quum Leges feruntur, quas ne ipſi quidem docti extricare queant, eoque minus idiotae & mulieres, quas tamen aeque ac reliquos obligatio denuntiandi, & Anathematis poena conſtringit. Et quale ſane ſpectaculum foret intueri circumcurſantes quotidie honeſtas Matronas, Virgines ad verecundiam educatas, aliaſque mulierculas, ad Theologos, aut potius ad ipſum Inquiſitionis Tribunal, metu Anathematis & ſcrupulis agitatas, & anxie dubitantes, & inquirentes, an *Improprium* quid, hoc eſt minime pertinens ad neceſſitatem aut utilitatem Confeſſionis, audiſſent? Certe ſi tot decipulis & periculis expoſitum foret Confeſſariorum munus, nemo ex iis in

poſte-

posterum ad audiendas Fidelium Confessiones accedere auderet. Idque jam accidit; nam ex quo prodiit Lusitanae Inquisitionis Edictum tot tenebris scatens, ex iis multi, & praecipue piissimi viri, quieti ac famae suae consulentes, a sacro ejusmodi labore destiterunt. Quod plus est, ipsi quoque Fideles, ubi tot salebrae in Sacramentali Confessione occurrerent, a salutifero ac necessario Sacramento mirum in modum absterrerentur. Inter ceteras caussas, cur nunc Apostolica Sedes eorum praxim confixit, qui nullo justo titulo in Confessione nomen Complicis interrogarent, ea in primis memoratur, quod praxis illa *a Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo & necessario usu Fideles abalienaret*. Quanto autem amplius durum ac intolerandum onus Sacramentalis Confessio videretur, atque ab ea averterentur Fideles, quando ad Tribunal Inquisitionis accedere opus foret ad denuntiandam non solum propriam ignominiam, sed & *Circumstantias Improprias*, quae innumerae esse possunt?

Ex his ergo intelligis deformitatem Edicti; & nihilo secius gravius in eo superest vitium, cui nullam excusationem obtendas. Scilicet inter majores caussas, quae Summo Pontifici reservatae sunt, adnumeranda procul dubio est Disciplina *de Sacramentis*. In ea quidquam novare, addere, aut detrahere, nemini licet, nisi Romano Pontifici, aut Conciliis Generalibus ab ipso indictis, & cum eo consentientibus. Cessat heic auctoritas singulorum Episcoporum, & Conciliorum particularium. Quum enim concors in tanti momenti rebus procedere debeat universa Ecclesia, Disciplinae hujus cura ad Pontificem spectare debet, cujus potestas ad reliquas omnes Ecclesias protenditur, aut ad Generalia Concilia, quae ipsam universam Ecclesiam complectuntur Cap. *majores de Baptismo*. Vide Barbosam de Offic. & Potest. Episc. Par. 3. Alleg. 1. & Fagnanum in Lib. 1. Decretal. *de Officio Ordinarii* c. *Perniciosam* Cap. 2. Et quamvis ab Apostolica Sede in aliquo Regno generalis sit alicui commissa Legatio, ad ea tamen Legatus non debet manus extendere, quae in signum privilegii singularis sunt Summo

Pon-

Pontifici reſervata. Vide *de Officio Legati* Cap. *quod translationem* initio Lib. 1. Decret. Tit. 30. Cap. 4. Soli autem Sanctae Sedi concessa nullus uſurpare ſine ejus conſultu & venia praeſumat, qui non vult honore Eccleſiaſtico indignus, ut contemtor, judicari. Diſt. 17. Cap. 3. *Huic ſoli*. In eamdem ſententiam confluunt vota Canoniſtarum ac Theologorum Moralium. Mirari ergo ſubit, cur tantos animos conceperit Eminentiſſimus Cardinalis Inquiſitor, ut manum immiſerit in Poenitentiae Sacramentum, ac tantam novitatem invexerit, & quidem inconſulto penitus & inſcio Pontifice Maximo. Quin haec appellanda ſit uſurpatio Pontificiae auctoritatis, quis dubitet? Quod etiam plus dolendum eſt, tribuit ille ſibi poteſtatem condendi Legem, quam neque ipſe Pontifex ſibi tribuiſſet: Legem videlicet, quae importabile jugum cervicibus Fidelium imponit, eoſque ab ipſo Poenitentiae Sacramento avertit. Decrepita ejus aetas, qua abuſi ſunt nonnulli, parum prudentem praeferentes zelum, illum fortaſſis excuſet; ſed nequaquam ipſos Conſultores, quibus egregium facinus viſum fuit amplificare poſſe ſacri illius Tribunalis auctoritatem ultra limites a Sancta Sede praeſcriptos, eodemque tempore tricas, & invidiam concitare in tot pios Regni illius & Eccleſiae Miniſtros. Obliti ii ſane fuerunt, quod Clemens V. Pontifex in Concilio Viennenſi animadvertit & improbavit, ut patet ex Cap. *Multorum* de *Haereticis* in 6. Verba illius apponere juvat. *Multorum querela Sedis Apoſtolicae pulſavit auditum, quod nonnulli Inquiſitores, per Sedem eamdem contra pravitatem Haereticam deputati, metas ſibi traditas excedentes, ſic interdum extendunt ſuae poteſtatis officium, ut quod in augmentum Fidei per circumſpectam ejuſdem Sedis vigilantiam ſalubriter eſt proviſum (dum ſub Pietatis ſpecie gravantur innoxii) cedat in Fidelium detrimentum.* Hujuſmodi querelas temporibus noſtris merito renovandas, unuſquiſque pius profecto dolebit.

Quid actum, quid agendum in hujusmodi controversia.

CAP. X.

EX his quae hactenus disseruimus, constare jam potest, quam justis titulis Lusitani Episcopi insurrexerint adversus Edictum, a quo non Episcopali tantum, sed ipsi etiam Pontificiae Dignitati vulnus inlatum fuerat, atque in non leve discrimen trahebatur Populorum conscientia & quies, imo & odium conflabatur in ipsum Poenitentiae Sacramentum. Querelas propterea suas in sinum communis Patris, summi nempe Pontificis, deposuere, firma spe adducti, ex ejus celebrata doctrina & suprema auctoritate, Decretum emanaturum, quo simul Religionis rebus prospiceretur, & oborta tollerentur dissidia. Delata ergo ad Romanam Congregationem Sancti Officii ejusmodi controversia aut paucos, aut nullum ibi offendit, qui pro Episcopis non steterit. Proinde summus Pontifex, adhibitis in consilium compluribus doctissimis Cardinalibus, & Theologis, postquam concordia omnium vota convenire in sententiam Episcoporum sensit, Decretalem alteram efformavit, ac promulgavit IV. Nonas Junii Anno MDCCXLVI. Tabellario ad hoc unum negotium delecto tradita haec fuit una cum Literis ad Lusitaniae Regem hortantibus, ut dissidentes animos ipse pro sua Prudentia, & verbis Apostolicae Sedis, componendos curaret. Tanto Pontifice dignam Decretalem istam omnes depraedicarunt, & compertum habemus, effusos in lacrymas consolationis non paucos, qui ipsam legerunt. Hanc autem Episcopi confestim unanimi obsequio typis traditam in publicum evexere, ut Clerus, & Populus, quid sentiendum & agendum deinceps foret edifcerent. Lectorum oculis eamdem Constitutionem exhibeo.

Sanctissimi in Christo Patris, & Domini, Domini BENEDICTI Divina Providentia Papae XIV. Constitutio, qua confirmantur Literae jam editae adversus Confessarios exquirentes a Poenitentibus Complicum nomina, & Poenae in delinquentes statuuntur, cum praefinitione Ordinis procedendi in hujusmodi Causis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

„ UBi primum de perversa quadam, & absurda praxi in „ Sacramento Poenitentiae administrando apud nonnul- „ los Confessarios in Portugalliae, & Algarbiorum Regnis in- „ troduci coepta, non sine animi Nostri dolore, nuntium acce- „ pimus, non levi aliquo incertoque rumore ad Nos perlatum, „ sed ita gravibus, solidisque fundamentis innixum, ut pru- „ dentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magni- „ tudine facerent; praetermittere non potuimus, quin conti- „ nuo datis ad Venerabiles Fratres eorumdem Regnorum ac „ Ditionum Archiepiscopos & Episcopos Apostolicis Nostris Li- „ teris, remedium nascenti malo quam promptissime adhibere- „ mus. Earum verò Literarum die septima mensis Julii supe- „ rioris Anni Millesimi septingentesimi quadragesimi quinti edi- „ tarum, quas praesenti huic nostrae Constitutioni inserendas „ existimamus, hic tenor erat:

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Suprema omnium Ecclesiarum &c. ut supra.

„ Has

„ Has porro Nos Literas in forma Brevis tunc datas
„ iterum praesentibus Nostris confirmamus, & roboramus,
„ easque ab omnibus, & singulis fideliter, exactèque obser-
„ vari injungimus, atque praecipimus.

„ Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicumque cu-
„ jusvis status, gradus, conditionis, dignitatis, & ordinis,
„ etiam speciali, & individua, ad effectum ut hisce Nostris
„ praesentibus comprehendantur, mentione & expressione di-
„ gni, ausus in posterum fuerit docere, licitam esse hujus-
„ modi praxim, prout ea in relato Nostro Brevi exponitur
„ ac reprobatur; vel scribere, aut loqui praesumpserit in ejus-
„ dem damnatae praxis defensionem; vel ea, quae in dicto
„ Brevi contra eamdem praxim decreta sunt, impugnare,
„ aut in alienos sensus temerè detorquere, seu interpretari;
„ incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non pos-
„ sit, praeterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque
„ etiam dignitate fulgente, vel auctoritate suffulto, nisi a
„ Nobis, vel a pro tempore existente Romano Pontifice, ab-
„ solvi.

„ Et quia non modo cavendum est, ut, quae sunt a
„ Nobis in praeinsertis Literis decreta, ab omni impugna-
„ tione, contradictione, pravaque interpretatione salva sint,
„ & immunia; verum etiam ne quis in Sacramenti Poeni-
„ tentiae administratione ab eorum omnimoda observantia
„ unquam recedat; idcirco omnibus & singulis Confessariis
„ utriusque Cleri tam Saecularis quàm Regularis, quantumvis
„ exempti, & quacumque speciali & expressa mentione aliàs
„ fortasse nominandi, graviter, & districtè, Divini intermi-
„ natione judicii, atque in virtute sanctae obedientiae, pro-
„ hibemus, ne, conformiter ad praedictam reprobatam pra-
„ xim, poenitentes, qui peccatum, seu crimen aliquod, cu-
„ jus socium, aut socios habuerint, ipsis in Tribunali Poeni-
„ tentiae confiteantur, interrogare praesumant de nomine so-
„ cii, seu Complicis, loco habitationis, vel aliis hujusmodi
„ adjunctis, sive circumstantiis, expressiorem magisque indi-
„ viduam ejusdem complicis manifestationem concernentibus;

„ eidem

„ eidem poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem „ absolutionem denegando: alioquin noverint sese, ultra „ peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audienda- „ rum confessionum, aliisque etiam gravioribus poenis fore „ subjiciendos.

„ Praeterea quoniam contra damnatum hujusmodi exi- „ tialem abusum, ne cum animarum pernicie radices agat, „ necesse ducimus modum, ac formam etiam in foro ex- „ terno procedendi, & ultrices adversus reos poenas impo- „ nendi, statuere, atque ordinare; omnesque super hoc „ exorituras, vel etiam jam exortas dissensiones componere, „ & penitùs amputare; volumus, decernimus, ac declaramus, „ quod docentes, ut supra, licitam esse praxim a Nobis „ jam reprobatam, vel in ejusdem praxis defensionem scri- „ bentes, aut loquentes, vel ejusdem reprobationem in me- „ morato Nostro Brevi contentam impugnantes, aut perverse „ interpretantes, in Officio Sanctae Inquisitionis praedictorum „ Regnorum, atque Ditionum severè puniantur, & contra „ eos, & eorum quemlibet in eodem Officio procedatur, non „ minus ac contra illos ibidem procedi solet, qui asserunt, „ tradunt, tuentur opiniones scandalosas, perniciosas, & uti „ tales a Sede Apostolica rejectas, & condemnatas.

„ Similiter in eodem Officio procedendum erit, & pro- „ cedi volumus, ac statuimus contra Confessarios quoque, ut „ supra, delinquentes, ac de nomine complicis poenitentem „ interrogantes, eidemque poenitenti, nisi illud sibi manife- „ stet, absolutionem denegantes: Dummodo tamen hujusmo- „ di interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis „ conjunctus sit, ac convestitus, quae sic agentem Confessa- „ rium de adhaesione ad praedictam reprobatam praxim, „ tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava cre- „ dulitate suspectum reddant.

„ Itaque contra praedictos omnes & singulos Delinquen- „ tes tam Saeculares, quàm quorumvis etiam quomodolibet „ exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediatè subjectorum „ Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum

Regu-

„ Regulares, cujuscumque dignitatis, ac praeeminentiae, aut „ quovis privilegio muniti existant, & quorum specialis & „ nominatim mentio facienda sit, prædictorum Regnorum ac „ Ditionum Inquisitores, potestate a Nobis traditâ, & quate„ nus opus sit, praesentium tenore de novo concessa, prout „ in causis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec „ non Sancti Officii Inquisitionis hujusmodi constitutiones, „ privilegia, consuetudines, & decreta, diligenter inquirant, „ & procedant, & quos in aliquo ex ejusmodi excessibus cul„ pabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate, & cir„ cumstantiis, suspensionis ab officio confessiones audiendi, „ vel etiam ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum, „ Dignitatum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vo„ cis activae ac passivae, si Regulares fuerint, aliasque poe„ nas decernant; omnes etiam, vel earum tantum aliquas, „ in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

„ Quicumque verò alium quemlibet aliquo ex supradictis „ modis deliquisse cognoverint, eum, intra terminum dierum, „ in Edictis Sancti Officii ejusmodi Inquisitionis praefigi soli„ tum, eidem Sancto Officio denunciare teneantur: alioquin „ poenas non denunciantibus per eadem Edicta infligi consue„ tas incurrant. Verumtamen ab hujusmodi onere denunciandi „ justis de causis eximi volumus & eximimus personam ipsam „ poenitentem dumtaxat in causa propria, idest in casu, quod „ suum peccatum confitens, a Confessario adigatur ad sibi ma„ nifestandum nomen complicis in eodem peccato: tunc enim „ poenitentem hujusmodi ab obligatione eumdem Confessarium „ denunciandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex pro„ pria, ut dictum est, confessione, noverit Confessarium ali„ quo ex superius enumeratis, & Sancto Officio denunciandi „ modis deliquisse, tunc eum & ipse denunciare ex ista aliun„ de habita notitia teneatur.

„ Quod si Confessarii de Complicis nomine perperam in„ terrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis „ actum contingat ejusmodi esse, ut, quamvis imprudens, & „ malus, simplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, idest

„ iis circumſtantiis deſtitutus, quae de prava credulitate, vel „ de mala adhaeſione ad praxim in ſaepe dicto Noſtro Brevi „ reprobatam tamquam ad licitam, eumdem Confeſſarium ſu- „ ſpectum reddant; tunc iſtiuſmodi delictum neque denuncia- „ tionis oneri, neque Sancti Officii praedicti cognitioni ſubje- „ ctum erit; ſed de illo cognoſcere, atque in delinquentem „ Confeſſarium, per ſuſpenſionem ab audiendis confeſſionibus, „ vel alias canonicas, & legitimas poenas pro delicti modo „ animadvertere, ad locorum Ordinarios in ſua cujuſque Dioe- „ ceſi omnino ſpectabit.

„ His igitur circa ordinem, formam, modumque contra „ ejuſmodi delinquentes procedendi, ut praefertur, conſtitutis, „ ac ſuis unicuique Judici Eccleſiaſtico juribus aſſignatis, & di- „ ſtributis; hanc Nos deinceps regulam ab omnibus obſervari „ ac cuſtodiri volumus, & mandamus, ſi quando talia delicta „ deprehendi contigerit; quae tamen haud unquam poſthac „ eventura in Domino confidimus, accedente inſuper praeclarâ „ inclytae Luſitanae Nationis univerſae erga Sedem Apoſtoli- „ cam obſervantiâ & obedientiâ, nec non eximia tum iſtius „ Sanctae Inquiſitionis Officii, tum cujuſque loci Ordinariorum „ nunquam defutura vigilantia. Quapropter quaecumque ali- „ ter, quam praeſentibus Noſtris decrevimus & conſtituimus, „ ſive in Edictis praefati Officii Inquiſitionis, ſive in quibusli- „ bet quorumvis Ordinariorum Mandatis, aut Paſtoralibus Li- „ teris, vel Decretis ante hac ſtatuta prodierint, ea Nos, quo- „ niam poſt Apoſtolicam hanc a Nobis propoſitam agendi, ſeu „ judicandi normam minus neceſſaria fore cenſemus, deſinere „ jam, & ceſſare, ac, veluti nunquam emanaſſent, omnem ob- „ ligandi vim amittere, Motu proprio, & ex certa ſcientia, „ deque Apoſtolicae poteſtatis plenitudine declaramus, ſtatui- „ mus, atque ſancimus.

„ Decernentes, eaſdem praeinſertas, nec non praeſentes „ noſtras Literas, & in eis contenta quaecumque, etiam „ ex eo quod quicumque cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, „ praeminentiae, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpeciali, „ & individua mentione, & expreſſione digni, in praemiſſis

„ in-

„ intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet praetendentes,
„ illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi,
„ neque cauſae, propter quas tum praeinſertae, tum prae-
„ ſentes emanaverint, ſufficienter adductae, verificatae, &
„ juſtificatae fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata
„ cauſa, colore, praetextu, & capite, de ſubreptionis, vel
„ obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrae,
„ vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet defectu,
„ notari, impugnari, aut in controverſiam vocari poſſe; ſed
„ ipſas praeſentes, eaſdemque praefatas in forma Brevis Li-
„ teras, firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſ-
„ que plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, & ab
„ omnibus & ſingulis praemiſſis, ad quos ſpectat, ſeu pro
„ tempore ſpectabit, exacte, & inviolabiliter obſervari.

„ Sicque & non aliter in praemiſſis cenſeri, atque ita
„ per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos etiam
„ S. R. E. Cardinales, & contra haereticam pravitatem Ge-
„ nerales Inquiſitores, Legatos quoque de Latere, & Apoſto-
„ licae Sedis Nuntios, alioſve quoslibet quacumque auctori-
„ tate, poteſtate, & praeeminentia fungentes, & functuros,
„ ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi & interpre-
„ tandi facultate, judicari & definiri debere, ac irritum &
„ inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam ſcienter, vel igno-
„ ranter contigerit attentari.

„ Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, & in Univer-
„ ſalibus, ſive Provincalibus, aut Synodalibus Conciliis editis
„ generalibus, ſive ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinatio-
„ nibus, Edictis quoque praedicti Inquiſitionis Officii, &
„ quorumcumque Odinariorium, etiam Epiſcoporum, & Me-
„ tropolitanorum Mandatis, Literis Paſtoralibus, ſive Decre-
„ tis, nec non ejuſdem Officii, & quarumcumque Eccleſia-
„ rum etiam Epiſcopalium & Metropolitanarum, & quorum-
„ cumque Ordinum, Congregationum, Religionum, & Inſti-
„ tutorum, etiam Societatis Jeſu, aliiſve quibuſvis, etiam ju-
„ ramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia
„ roboratis ſtatutis, ſtilis, uſibus, & conſuetudinibus; privi-

„ legiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Inqui-
„ sitionis Officio, illiusque Inquisitoribus, Commissariis, aliis-
„ que Officialibus, tum etiam Ecclesiis, eorumque Praelatis,
„ Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, illo-
„ rumque Superioribus, & personis quibuslibet, sub quibus-
„ vis verborum tenoribus & formis, & cum quibuscumque
„ etiam efficacissimis & insolitis derogationibus, clausulis, at-
„ que decretis, etiam Motu, & Apostolicae potestatis pleni-
„ tudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam
„ Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica potestate
„ fulgentium instantiam, vel aliàs quomodolibet in contrarium
„ praemissorum concessis, confirmatis, & innovatis.

„ Quidus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum suffi-
„ cienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus spe-
„ cialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem
„ per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quae-
„ vis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad
„ hoc servanda foret, tenores praedictos pro sufficienter, &
„ de verbo ad verbum expressis & insertis, formasque hujus-
„ modi pro plene & exacte observatis habentes, ad prae-
„ missorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & ex-
„ presse derogamus.

„ Volumus autem, ut earumdem praesentium transum-
„ ptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Nota-
„ rii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica
„ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judi-
„ cio & extra ubique habeatur, quae adhiberetur ipsis prae-
„ sentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

„ Nulli ergò omnino Hominum liceat paginam hanc
„ nostrarum condemnationis, reprobationis, confirmationis,
„ sanctionis, prohibitionis, ordinationis, abrogationis, dero-
„ gationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario
„ contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indi-
„ gnationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli
„ Apostolorum ejus se noverit incursurum.

„ Datum in Arce Gandulphi Albanensis Dioecesis Anno

„ In-

„ Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quadra-
„ gesimo sexto, Quarto Nonas Junii, Pontificatus Nostri
„ Anno Sexto.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA
de Curia I. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Multa profecto circumspectione & aequitate diremtam vides obortam controversiam hujusmodi Pontificio Decreto; per hoc enim consulitur vitio, si quod fuit, praeterito, & futuris etiam temporibus norma praescribitur, quibus ab omni labe illaesum servetur salutare Poenitentiae Sacramentum. Heic igitur iterum configitur quaecumque perversa Confessariorum Curiositas, ac praecipue negantium absolutionem renuentibus revelare Complicem; eosque a Sacra Inquisitione puniendos Sancta Sedes decernit: *dummodo tamen hujusmodi interrogandi ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit ac convestitus, quae sic agentem Confessarium de adhaesione ad praedictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.* Si ejusmodi circumstantiae desint, deferendus non erit ille ad Inquisitionis Tribunal. Non desunt sane Confessarii simplicitate laborantes, qui melius conscientiae Poenitentis se prospicere posse aliquando putent, si nomen Complicis audiant. Fieri potest, ut nulla malitiae suspicio in ipsos cadat: quod non difficile prospici potest. Quum exempli caussa de furtis, de fraudibus, de periclitante alicujus honore agitur: tunc bonus Confessarius (imprudenter fortasse) exquirat Complicis

 nomen,

nomen, consilium, ut sibi videtur, opportunum daturus. Hic tamen illius error ad cognitionem Inquisitorum non pertinet. Idem infra aliis disertis verbis inculcat Pontifex inquiens: *Quod si Confessarii de Complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actum contingat ejusmodi esse, ut quamvis imprudens & malus, simplex tamen quidam & nudus actus fuerit, idest iis circumstantiis destitutus, quae de prava credulitate, vel de mala adhaesione ad praxim in saepe dicto nostro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem Confessarium suspectum reddant: tunc istiusmodi delictum, neque denuntiationis oneri, neque Sancti Officii praedicti cognitioni subjectum erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis Confessionibus, vel alias Canonicas & legitimas poenas pro delicti modo animadvertere ad locorum Ordinarios in sua cujuscumque Dioecesi omnino spectabit.* Rectissime haec; nam ea, quae errorem aut suspicionem erroris contra Dogmata Fidei, aut Opiniones scandalosas & perniciosas a Sede Apostolica damnatas, minime continent, ab Inquisitionis jurisdictione semota sunt. Aequissimus vero Pontifex nihil voluit imminutum de ordinaria Jurisdictione Episcoporum, quam tamen laesam ab Inquisitore Generali iidem, ut supra vidimus, expostulabant.

Itaque si quis cognoverit, quemquam e Confessariis deliquisse modis in Pontificio Brevi expressis, obligatur ad illum denuntiandum Sancto Officio intra terminum triginta dierum, tunc solum quum circumstantiae occurrunt, quae indicent, aut justae suspicioni locum praebeant, Confessarium credere licitam hujusmodi interrogationem, quae intrinsece illicita sit, nisi forte legitima aliqua caussa interrogandi, de qua supra agimus, intercedat. Ad hoc etiam, ut denuntiatio facienda sit Sancto Officio, exigit Pontifex, ut Confessarius Sacramentalem absolutionem Poenitenti denegarit. Exceptionem alteram nunc accipe. *Verumtamen*, subdit Pontifex, *ab hujusmodi onere justis de caussis eximi volumus & eximimus personam ipsam Poenitentem dumtaxat in caussa propria, idest in casu, quod suum peccatum confitens, a Con-*

a Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen Complicis in eodem peccato: tunc enim poenitentem hujusmodi ab obligatione eumdem Confessarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est, confessione, noverit, Confessarium aliquo ex superius enumeratis, & Sancto Officio denuntiandis modis deliquisse: tunc cum & ipse denuntiare ex ista aliunde habita notitia teneatur. Dejectum ergo heic habes ac protritum novum illud jugum, quod Lusitana Inquisitio ob nimium zelum molita est imponere humeris Poenitentium, & de quo jam patet, quam merito piissimi Regnorum illorum Episcopi fuerint conquesti. Bene sit Sanctissimo Pontifici, cujus sapientia & auctoritate reddita est serenitas conscientiis Lusitanae gentis. At quid nunc dicendum de Eminentissimi Inquisitoris Edicto? Audi quae Pontifex infra in hanc rem adjicit. *Quaecumque*, is ait, *aliter quam praesentibus Nostris decrevimus & constituimus, sive in Edictis praefati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum Mandatis, aut Pastoralibus Literis, vel Decretis antehac statuta prodierint, Nos, quoniam per Apostolicam hanc a nobis propositam agendi seu judicandi normam minus necessaria fore censemus, desinere jam & cessare, ac veluti numquam emanassent, omnem vim obligandi amittere, Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque sancimus.* Non poterat Summus Ecclesiae universae Pastor clarioribus verbis deformitatem illam, violentumque illud remedium tollere, quae praecipuum argumentum querelis Lusitanorum Praesulum praebuerat.

Piget nunc dicere, neque sine dolore dicam: alia fuit mens Eminentissimis Patriarchae, & Inquisitori Generali; neuter enim officio suo, & expectationi Apostolicae Sedis respondit. Nimirum ii continuo agnoverunt, nihil deesse, ut quisque intelligeret, improbatum sublatumque Romae fuisse Inquisitionis Edictum. Propterea Eminentiss. Patriarcha Pontificiam Decretalem evulgare renuit; Eminentissimus vero a Cugna non solum a revocando Edicto suo abstinuit, atque a

publici juris facienda Constitutione Pontificis, sed etiam se laesum arbitratus indoluit, Literasque secretas dedit ad summum Pontificem, quarum tamen nulla est habita ratio. Hunc animum satis antea expresserat Purpuratus iste; nam devoluta & pendente adhuc ante Pontificium Tribunal controversiâ hujusmodi, quum recurrente hebdomada prima Quadragesimae vulgandum de more fuit Edictum Sacrae Inquisitionis, eidem novus iste casus cum Denuntiationis praecepto est additus: quod sane mirandi & conquerendi caussam dedit, utpote contra Judiciorum regulas attentatum, & a reverentia erga visibilem & supremum Ecclesiae Judicem debita alienum. Quid heic prudentissimus Pontifex? Ubi Eminentissimi Inquisitoris aversam mentem intellexit, potuisset pro imperio agere, sed amoris & clementiae vias pro more suo praeferens, ad ipsum Eminentissimum non semel rescripsit, hortando ut Edictum revocaret, ex non uno vitio, sed potissimum ex potestatis defectu undequaque ruinosum; eamque in rem, uti etiam Doctor privatus & prae ceteris Ecclesiasticae Doctrinae & Disciplinae peritissimus, grave & indecorum sibi minime duxit proferre Canonum & Theologorum concordem sententiam, in Inquisitionis Tribunali ubique observatam. Sed hactenus auribus surdis cecinisse fertur. Imo fama invaluit, nova arma Ulyssipone parari; Libellos etiam prodiisse ad fulciendam perperam impositam Poenitentibus de Complice interrogatis Denuntiationis obligationem; & eo usque processisse nonnullorum audaciam, ut sine deformi isto remedio Fides Christi in Lusitania peritura dictitetur. Eruperunt etiam, qui declamarent, nihil dubitandum, quin ibi orta Haeresis altas radices jam egerit, cujus tamen ne unum quidem sectatorem indicare possint, quum omnes errorem & praxim a Sancta Sede damnatam execrentur. En quid possit & audeat corrupta a coecis affectibus hominum mens. Denique sat non fuit accusatoribus tantam piis quibusque Confessariis molestiam inferre, Satyricis quoque & contumeliosis scriptis, iisque nemine resistente proelo traditis, in Episcopos tanta veneratione dignos pugnarunt, eosdem traducendo qua-

si Hae-

si Haereticos, aut Haereticorum fautores. Num in hoc hominum genere Spiritus Dei? Heu quantam malorum & scandalorum segetem peperere Edicta, sine accurato Veritatis examine, atque indiscreto tantum zelo procusa.

Interea quid de hujusmodi controversia sentiendum sit, nihil opus habet Lector, ut a me edoceatur. Tantummodo cum Patribus Concilii Chalcedonensis Generalis dicam: *Petrus per os BENEDICTI XIV. loquutus est*. Nihil ultra quaerendum. Etiam cum Sancto Augustino Lib. 2. de verbis Apostoli dicam: *De hac caussa missae sunt ad Sedem Apostolicam* Episcoporum querelae; *inde etiam Rescripta venerunt: Causa finita est*. Quod justitia, quod sapientia Apostolicae Sedis praescripsit, lex omnibus futura est, praesertim postquam Constitutionem pro Lusitania conditam, ubique locorum observandam idem Pontifex jussit die V. Octobris Anno Ch. 1746. Et quandoquidem Romano examini suppositum fuit Edictum Lusitanae Inquisitionis, & de illo Romana Cathedra judicavit, nulla dubitatio superesse potest, quin uti nullum & obliteratum futuris temporibus reputandum sit. Si quis vero (quod Deus avertat) pertinacem ac superbum gerens animum, aut Libris aut voce decretis Apostolicae Sedis obsistere auderet, & contra quod visibile Ecclesiae universae Caput decrevit, vexare Christi Fideles in Lusitania pergeret: is non tantum gravis criminis reum se proderet, sed etiam suspicioni aditum aperiret, se perversam aliquam atque Haereticalem Opinionem sectari atque fovere.

Interim perspecta Pietas Eminentissimi Cardinalis Inquisitoris quid aliud sperare nos facit, nisi pacem, humilemque obedientiam Successoribus Petri, quibus peculiari privilegio pascendas oves Christus tradidit, & praeesse universae Ecclesiae dedit? Fieri non potest, quin ipse recogitet, quanta in Ecclesiasticis rebus obedientia debita sit Apostolicae Sedi; & quibus singularibus vinculis fidelitatis sit ipse obstrictus erga Pontificem, a quo Purpuram accepit; itidemque nullo divino jure niti Ministerium suum; nullamque aliam sibi in Christi Fideles jurisdictionem & auctoritatem competere, quam quae Inquisi-

quisitoribus tributa est a Romanis Pontificibus, & revocari etiam, quandocumque velint, ab ipsis posset. Istius veritatis memorem eumdem Eminentissimum Cardinalem facit ipsa Pontificia Constitutio hisce verbis, quibus mandat Regnorum atque Ditionum Lusitaniae Inquisitoribus, ut *potestate a Nobis traditâ, & quatenus opus sit praesentium tenore de novo concessâ, poenas in delinquentes decernant*. Horreret quisque profecto, ubi Delegatum quemquam intueretur plus velle sapere, plus velle posse, quam Delegans. Si Purpurati hujus zelo abusus est aliquis ex hominibus veram scientiam & Prudentiam oblitis, res poscit, ut is ad vocem Petri judicantis in rectam semitam se rursus convertat. Ad haec fieri nequit, quin ipse tamdem animadvertat, quantopere laudandus sit, & praeferendus rigoribus Lusitanae Inquisitionis moderatus ac prudens zelus Apostolicae Sedis, quae abusus quidem & excessus ad Ecclesiae jura spectantes, sublatos ubique cupit, & auferendos curat; sed imitata Deum, Justitiam Clementiâ & Misericordiâ temperare consuevit. Nimius enim rigor in ipsam Christi Religionem, adeo mitem ac suavem a Deo institutam, odium, dicteria, hostilemque animum excitat, & ab ea amplectanda Judaeos atque Infideles deterret. Certe Lusitanae Inquisitionis zelum immodicum sinistra fama depraedicat. Fortassis immerito. Attamen Cardinalis Albitius de Inconstantia in Fide Cap. XV. num. 20. & sequ. testis est, *saepe saepius*, ac praesertim sub Clemente VIII. Urbano VIII. Clemente X. & Innocentio XI. conquestos fuisse Lusitanos de regionum illarum Inquisitione, veluti non pauca gravamina Fidelibus inserente, & ab iisdem Summis Pontificibus remedia etiam fuisse, quantum ad se spectabat, apposita: adeo verum est, Zelum, qui ad excessus & novitates nimis duras declinat, inter mala esse numerandum, atque ab Ecclesia benignissima Matre nostra minime ferendum. Vix autem dubitari potest, quin consideratâ Prudentiâ & Constantia Sanctissimi nunc sedentis Pontificis, & Eminentissimi Cardinalis Inquisitoris Pietate, praesenti turbationi brevi futurus sit finis. Ubi vero adhuc tumultuari, &

vene-

venenosis Satyris, piae gentis, ipsorumque sacrorum in Lusitania Antistitum (quorum Dignitatem tanta cura Sedes Apostolica illaesam voluit) nonnulli famam lacerare pergent : ii tamdem satis testabuntur, se iniquis affectibus ad excitandam hanc tempestatem fuisse commotos, atque etiamsi pro merito debitis poenis minime plectantur, in omnium tamen sapientum & proborum Christi Fidelium execrationem incurrent.



INDEX.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP.

MUTINAE MDCCXLVII.

EX TYPOGRAPHIA BARTHOLOMAEI SOLIANI
Superiorum Permissu.